ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

De Virtute Castitatis et de Vitiis oppositis

Tractatus dogmatico-moralis

DE VIRTUTE CASTITATIS & DE VITIIS OPPOSITIS

AUTORE

LUDOVICO WOUTERS, C. SS. R.

THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS PROFESSORE EMERITO

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

CAROLUS BEYAERT, EDITOR PONTIFICIUS, BRUGIS (BELGII)

PARISIIS apud depositum: A. GIRAUDON, 56, RUE NOTRE DAME DES CHAMPS, VI.

M. E. MARIETTI, TAURINI & ROMAE.

1928

NIHIL OBSTAT.
H. BEIJERSBERGEN, S. J.
Librorum Censor.
Mosæ-Traiecti, 24 Oct. 1928.

IMPRIMATUR.
L. SCHRIJNEN,
Epus Ruraemundersis
Ruraemundae, 29 Oct. 1928.

INDEX ANALYTICUS.

Prooemium VII
Monitum praevium VIII
Notiones praeviae 1

LIBER I. De castitate generatim 7

PARS I. De castitate quatenus respicit venerea . . . 7

SECT. I. De ipsa virtute castitatis 7

SECT. II. De vitio opposito seu de luxuria 18

CAP. I. De luxuria generatim 18

CAP. II. De luxuria consummata naturali 24

§ 1. De fornicatione 25
§ 2. De adulterio 30
§ 3. De incestu 32
§ 4. De sacrilegio carnali 35
§ 5. De stupro 37
§ 6. De raptu 38

CAP. III. De luxuria consummata innaturali . . . 40

ART. I. De pollutione 41
ART. II. De sodomia 44
ART. III. De bestialitate 47
ART. IV. De concubitu innaturali cum persona diversi sexus. 48

Scholion I. De aliquibus aliis modis concumbendi . 50

Scholion II. De poenis canonicis contra luxuriosos . 50

CAP. IV. De luxuria non consummata 52

Scholion. De luxuria indirecte voluntaria. . . 54

PARS II. De castitate quatenus respicit actus, qui ad venerea ordinantur seu de pudicitia 60

SECT. I. De ipsa virtute pudicitiae 60

SECT. II. De vitio opposito seu de impudicitia . . . 60

CAP. I. Principia 60

CAP. II. Applicationes 62

ART. I. De aspectibus 62
ART. II. De tactibus 64
ART. III. De osculis 65
ART. IV. De sermonibus et cantilenis 66

3370

Scholion I. De hypersexualitate, de sexualitate contraria et de perversione sexuali . . 67

Scholion II. De remediis contra luxuriam . . 69

LIBER II. De castitate coniugali speciatim 71

PARS I. De actibus licitis coniugum 71

SECT. I. De copula coniugali 71

CAP. I. De liceitate copulae coniugalis 71

ART. I. De fine 72

ART. II. De loco et modo seu situ 74

ART. III. De absentia impedimenti 74

§ 1. De promissione facta comparti 75

§ 2. De voto castitatis 75

§ 3. De impotentia coëundi 76

§ 4. De matrimonio dubie valido 78

ART. IV. De absentia damni avertendi 79

CAP. II. De obligatione copulae coniugalis . . . 82

SECT. II. De accessoriis ad copulam 88

PARS II. De actibus illicitis coniugum 90

APPENDIX I. De peccatis internis contra castitatem . . 104

I. — De delectatione morosa 104

II. — De desiderio et gaudio 108

APPENDIX II. De instructione in ordine ad castitatem . . 112

I. — Instructio sexualis 112

II. — Instructio matrimonialis 116

Index alphabeticus 141

Typographia dicta « Les Presses Gruuthuuse ». Brugis (Belgii).

PROOEMIUM

Materiam quam hisce pagellis pertractabimus valde practicam esse, nemo negaverit; practicam, inquam, pro confessariis, quorum iudicio peccata castitati opposita praeprimis subici solent; pro concionatoribus, quibus tam castitatis amorem quam luxuriae odium incitandi incumbit officium; pro animarum denique directoribus spiritualibus, quibus veluti Apostolo virgines castas exhibendi Christo privilegium concessum est.

In doctrina autem tradenda atque exponenda maxime vestigiis ingrediemur tum *S. Thomae,* cuius auctoritatem omnibus aliis praeferendam esse, nemo hodiedum in dubium vocaverit; tum *S. Alfonsi,* qui « inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent »[1]; cuiusque auctoritas a S. Poenitentiaria tanti habita est, ut respondere non dubitaverit, non esse inquietandum confessarium, qui in praxi S. Poenitentiae omnes sequitur B. Alfonsi opiniones, quamvis non legat opera Beati Doctoris nisi ad cognoscendam accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesve, quibus variae nituntur opiniones[2].

Faxit Deus, ut Immaculata Deipara virginumque Vexillaria deprecante, hoc quantulumcumque opusculum aliquid fructus afferat, atque integrae Theologiae Morali aliquando edendae viam praeparet.

Wittemii, d. 2 Aug. 1928.

---

[1]. Decretum Urbis et Orbis, d. 23 Mart. 1871, super concessione tituli Doctoris.
[2]. D. 5 Iul. 1831.

De virtute castitatis et de vitiis oppositis.

(S. Thom. 2. 2, q. 151-154; Suppl. q. 42, a. 4; q. 49, a. 4-6; q. 64; S. Alf. Theol. Mor. III, 412-485; VI, 900-954; Hom. Apost. tr. IX; tr. XVIII, 35-50).

MONITUM

De lubrica hac materia scripturo libet hoc grave *S. Alfonsi* monitum referre : « Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cuius vel solum nomen hominum mentes inficit. Det mihi veniam, quaeso, castus lector, si plures quaestiones et circumstantias a Patre Busembaum omissas, hic discussas et declaratas inveniet. Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem ! Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, et propter quam maior animarum numerus ad infernum delabitur : immo, non dubito asserere, ob hoc unum impudicitiae vitium, aut saltem non sine eo, omnes damnari quicumque damnantur ; hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem.

Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum de sexto praecepto, quemadmodum et alium de debito coniugali non legant nisi... ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abiicientes. Atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatae se commendent : ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur » (III, 413).

---

[1]. Cfr. CAIETANUS, Comment. in loc. cit. S. Thomae; BILLUART, De temperantia, dissert. 4-6; De matrimonio dissert; WAFFELAERT, De virtutibus cardinalibus; NOLDIN, De VI praecepto et de usu matrimonii[17]; ESCHBACH, Disputationes physiologico-theologicae[2]; ALBERTI, de Sexto et Nono praecepto et Usu matrimonii; VERMEERSCH, De castitate et de vitiis contrariis; DUYNSTEE, De leer der kuischheid[2]; MERKELBACH, Quaestiones de castitate et luxuria; ANTONELLI, Medicina pastoralis; CAPELLMANN - BERGMANN, Pastoralmedizin[18] ; VON OLFERS, Pastoralmedizin; SURBLED, La Morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène.

NOTIONES PRAEVIAE.

Quae de virtute castitatis et vitiis ei oppositis dicturi sumus rite intelligi nequeunt,nisi quaedam de diversitate sexuum atque de propagatione generis humani praemittantur.

I. **Diversitas sexus.** Genus humanum sicut species perfectiores animalium per duorum, scilicet maris et feminae, cooperationem propagatur. Qui quum diverso officio in ordine ad propagationem seu generationem fungantur, magnum quoad organa generationis discrimen inter maris et feminae corpus exsistit. Ex hac praesertim diversitate ortum ducit diversitas sexus. 1

II. **Organa virilia,** quae ad generationem concurrunt, praecipue sunt: Bini testiculi, epididyma, bini canales deferentes et membrum virile. 2

1. *Bini testiculi* seu testes sunt duo corpora ovalia, quae continentur scroto. In hisce conficitur semen virile seu sperma, quod ut prolificum sit, debet esse spermatozoidis refertum. Est autem semen substantia liquida, colore albo et aliquantum densa. Porro testiculi inde a tempore pubertatis semen, attamen ut plurimum non statim prolificum, conficere incipiunt; quae confectio per totam vitam perdurat, quamvis inde ab anno 58-62 semen passim iam non sit prolificum; sunt tamen exceptiones.

2. *Epididyma* est canalis saepius replicatus et sub pelle exteriore testis exsistens, per quem semen ad canales deferentes deducitur.

3. *Bini canales deferentes* a testiculis egrediuntur atque in membrum virile terminantur; per istos itaque canales semen ad membrum virile defertur.

4. *Membrum virile,* quod etiam penis, virga, mentula, veretrum dicitur, constat duobus corporibus cavernosis, atque tam urinam quam semen emittit. Adducto sanguine, erigitur et rigescit. In extrema membri virilis parte reperitur glans, quae praeputio operitur, atque praecipua delectationis venereae sedes dicitur.

3 III. **Organa Muliebria,** quae ad generationem concurrunt, maxime enumerantur: Bina ovaria, uterus, vagina et vulva.

I. *Bina ovaria* sunt corpora spongiosa, quae ad dexteram et ad sinistram utero alligata sunt atque conficiunt ovula, e quibus inde a pubertate singulis mensibus unum maturescit, ab ovario decidit et per oviductum in uterum lente progreditur.

2. *Uterus* seu matrix habet formam piri inversi et ovulo foecundato evolvendo inservit.

3. *Vagina* instar flaccidi canalis a collo uteri protenditur atque terminatur in vulvam.

4. *Vulva,* in quam terminatur vagina, sita est in parte ima et media corporis i. e. inter crura, atque constat labiis pudendi maioribus seu externis, labiis minoribus seu internis et clitori. Clitoris sita est inter labia minora, estque rudimentalis mentula seu quasi penis minimus. Dicitur una cum bulbis vestibuli vaginae praecipuum organum delectationis venereae.

Ante os seu ingressum vaginae, in vulva tamen, habetur orificium urethrae, quae in vesiculam terminatur. Itaque incipiendo a parte corporis anteriori habentur 1° orificium urethrae; 2° os vaginae; 3° anus. — Os vaginae magnam partem occluditur hymene i. e. tenui pellicula, quae semel lacerata v. g. per copulam, non amplius restituitur. Dici solet *signaculum virginale.* Cum vero quandoque desit, nec semper in primis copulis frangatur, alii signaculum virginale in quadam contractione et compressione ponunt, qua partes orificii vaginae constringuntur quamdiu copula carnali non sunt dilatatae [1].

Notentur quoque *ubera* seu mammae, quae lacti conficiendo et proli tribuendo inserviunt.

Denique in mulieribus notetur phenomenon, quod dicitur *menstrua.* Sunt autem menstrua fluxus sanguinis, quem feminae singulis mensibus e vagina patiuntur. Interrumpuntur tempore praegnationis et, saltem passim, lactationis. Fluxus autem menstruus per duos vel tres, interdum per plures dies protrahitur. In regionibus calidioribus prius apparent quam in frigidis: apud nos a 12-14 aetatis anno. Menstrua perdurant usque ad 45-50^{m}

[1]. VERMEERSCH, De Castitate, n. 139.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

aetatis annum, quo tempore fecunditas feminae cessare solet, quodque tempus *menopausa, aetas critica, reditus aetas* dicitur. Ceterum adverte:

1° Fluxus menstruus valetudini valde prodest; suspensio eius (excepto tempore graviditatis) vel irregularitas nociva est atque maxime in puellis nervosis in cerebrum influit. — Feminae tempore menstruorum, praesertim priorum, nervorum irritationem patiuntur atque haud raro affectibus iracundiae, tristitiae agitantur. Hinc indulgentius tunc a viro tractentur.

2° Tempore quo incipit menopausa, feminas occupare consueverunt melancholia magnaque irritabilitas et sensibilitas, quae quidem ordinarie per paucos menses perdurant. Quibus peractis, saepius notabilis in esse physico et morali mutatio locum habet. Quae infirmitatibus hucusque obnoxiae erant, haud raro sanitatem recuperant. Praeterea ratio et voluntas aliquid virilitatis adipisci videntur.

IV. **Pubertas.** Spectato iure canonico, masculus censetur pubes 4
a decimo quarto, femina a duodecimo anno completo (can. 88, § 2); spectata evolutione organorum genitalium, masculus pubes est, quando semen fecundum elaborare incepit, apud nos a 15-18 aetatis anno; femina a tempore confectionis ovuli vel ovulorum; quod tempus advenisse, manifestat fluxus menstruus, qui nimirum decisionem ovuli maturi sequitur et apud nos a 12-14 aetatis anno incipit.

V. **Actus ad generationem ordinatus** i. e. copula consistit in 5
eo, quod membrum virile erectum et rigidum factum vaginam muliebrem penetrat, atque in eam semen seu sperma effundit. Dicitur *generatio activa.* Copula fieri potest tam iacendo quam stando vel et sedendo; item, quum vagina sit in ima corporis parte, tam a posteriori quam ab anteriori parte mulieris; verum situs naturalis et ordinarius est, ut fiat iacendo et a parte anteriori; hinc mulier succumbat et supina iaceat — genibus levatis et distentis — atque vir incumbat.

VI. **Foecundatio** seu generatio passiva ita locum habet: Semen 6
virile in vaginam immissum ad uteri interiora et ad ovaria ascendit, quasi ovulum maturum industriose quaerens vel expectans. Ovulum a semine inventum spermatozoida circumdant, in

eius substantiam penetrare conantur et penetratum foecundant. Ovulum maturum et foecundatum in uterum progreditur atque in eo evolvitur [1]

7 VII. **Praegnatio** dicitur conditio mulieris, quae foetum in utero gestat. Ordinarie per novem menses vel circiter 280 dies protrahitur. Primis tribus mensibus praegnatio ut probabilis agnoscitur ex suspensione menstruorum, ex turgore uberum et maiori evolutione uteri. Postea certa fit e motibus foetus eiusque cordis pulsationibus. Denique evidens evadit ex ampliato ventre atque incessu mulieris. Tempore praegnationis ostium uteri clausum est novaque conceptio locum non habet.

8 VIII. **Partus** consistit in eiectione foetus, quae quidem eiectio fit per vaginam. Partum comitantur dolores sat vehementes, eumque per plures (10-15) dies sequitur fluxus sanguinis. Tempus, quod partum sequitur, dicitur *puerperii* vel *purgationis*.

9 IX. **Lactatio.** Circa quintum mensem praegnationis ubera mulieris volumine crescunt et lactis confectionem praeparant. Aliquot post partum diebus lac secernitur, quae quidem secretio per 18-24 menses perdurare potest.

10 X. **Actus venereus** distinguitur in *completum* et *incompletum;* ad posteriorem refertur *distillatio libidinosa.*

1. *Actus completus* consistit: 1° *Apud viros* in effusione seminis sive in copula sive extra eam; 2° *apud feminas* in commotione venerea extrema, i. e. ad terminum usque perducta, ita ut plena satiatio habeatur. Ei comitari solet effusio humorum tam vulvo-vaginalium quam eorum, quae e glandulis in collo uteri sitis effluunt. Humores autem passim in cavitatem uteri diffluunt, interdum etiam extra corpus scilicet e vagina effunduntur. Commotio venerea atque humorum secretio utilis quidem, non autem ad generationem necessaria est.

2. *Actus incompletus* consistit: 1° *Apud viros* in motibus et agitationibus organorum genitalium effusioni praeviis; 2° *apud feminas* in commotione venerea non extrema.

3. *Distillatio* in viro est secretio cuiusdam humoris a semine

---

[1]. Ovulum maturum, quod ex ovario decidit, si non est foecundatum, occasione menstruorum per vaginam eicitur.

distincti atque a glandulis urethri producti. Guttatim accidit, potestque coniuncta esse cum delectatione venerea vel ea carere. In uxore num et quid proprie sit distillatio, quatenus a commotione venerea distinguatur, reperire non potui.

XI. **Delectatio venerea.** Delectatio distinguitur duplex, *venerea* 11
et *sensibilis.*

1. *Venerea* dicitur ea, quae actui venereo annexa est. Duplex est, *completa* et *incompleta;* prior cum actu venereo completo, altera cum actu incompleto coniungitur.

2. *Sensibilis* est, quae oritur ex conformitate obiecti sensibilis cum sensu respectivo; v. g. ex tactu rei mollis, ex visu rei pulchrae, ex gustu rei dulcis etc. Haec delectatio annexam habet aliquam alterationem corporis per motum sanguinis vel spirituum vitalium circa pectus vel cor, sed absque commotione spirituum generationi inservientium (S. Alf. III, 415).

Sensibilis distinguitur in *sensibilem carnalem* et *pure sensibilem,* prout oritur ex obiecto de se apto ad venereum delectationem excitandam v. g. ex osculo feminae, vel ex alio obiecto (S. Alf. III, 415-416).

Nota 1. *Puberes,* item isti impuberes (sensu canonico), qui 12
semine (infecundo) gaudent, actus tam completi quam incompleti capaces sunt.

Impuberes (puta saltem 13 annorum) actus incompleti sunt capaces.

Dubitari potest, utrum sensatio in pudendis puerorum, puta 8-12 annorum, sit venerea an mere sensibilis carnalis. Si venerea dicenda sit, utique paulo melius explicatur, cur dicta sensatio saepe *tanto* ardore appetatur, atque *tanta* habeatur frequentia tactuum impudicorum, v. g. in collegiis seu conventibus, ubi deest religio et magistrorum vigilantia; idque inter pueros 8-12 annorum. Ceterum certum est, capacitatem habendi sensationem venereum per quaedam adiuncta aut per actus impudicos intensos vel frequentes posse accelerari (cfr. quoque *Duynstee* o. c. p. 146 sq.)

Nota 2. *Eunuchi nati* seu spadones, i. e. qui a natura tales 13
sunt; item *eunuchi facti* seu *castrati,* qui in teneris annis testibus orbati fuerunt, ne actus venerei incompleti quidem capaces sunt.

Qui in matura aetate testibus privati sunt, per aliquod temporis spatium semen in epididymate [1] asservatum emittere possunt, ideoque actus venerei completi capaces sunt; dicto semine emisso, iam semine carent, sed actus venerei capaces remanent [2].

Atque hisce praenotatis, dicemus *primum* de castitate generatim, *deinde* ob rei momentum de castitate coniugali speciatim.

---

[1]. Olim binae vesiculae seminales, i. e. canales inter intestinum rectum et vesicam urinariam collocati, putabantur esse receptacula nemaspermatum, ita ut semen emissum ex iis proxime fluere diceretur. Verum hodie potius tamquam organum cuiuspiam secretionis considerantur. Quae secretio fluxum ex testiculis comitatur. Hoc autem non impedit, quin saepe in dictis vesiculis reperiantur nemaspermata. Sintne autem mortua an vivant, id ambigitur. Verum viventia multa in epididymate (epididyme) inveniuntur, ita ut ex epididymate pro fecundatione artificiali extrahi possint (VERMEERSCH, o. c. p. 7).

[2]. Cfr. ESCHBACH, o. c. p. 150.

LIBER I.

De castitate generatim.

Castitas, ut ex dicendis magis patebit, dupliciter considerari potest, scilicet quatenus respicit actus venereos et quatenus versatur circa actus, qui ad venerea ordinantur. Priori modo considerata signanter *castitas,* posteriori modo spectata *pudicitia* dicitur. Utroque respectu materiam pertractabimus. Sit igitur:

PARS I.

De castitate quatenus respicit venerea.

(S. Thom. 2. 2. q. 151-152; S. Alf. Op. Dogm. I, tr. V, disp. XI, appendix, § 1, n. 40-41).

Dicemus *primum* de ipsa virtute castitatis, quatenus respicit venerea, *deinde* de peccato ei opposito seu de luxuria.

SECTIO I.

De ipsa virtute castitatis.

I. **Notio.** *Castitas* dicitur *a castigando,* quia respicit motus 14
et operationes, quae maxime castigari seu refraenari debent (S. Thom. 2. 2. q. 151, a. 1). Est autem castitas: Virtus supernaturalis inclinans hominem ad temperandum appetitum et usum venereorum. Eius obiectum *materiale remotum* sunt appetitus et usus venereorum; *proximum* sunt actus excludendi vel moderandi praedicta. Obiectum *formale* est honestas in eorum exclusione vel moderamine relucens (cfr. S. Thom. 2. 2, q. 151, a. 2). Qua notione tradita, lubet explicationis et probationis causa ex S. Thoma addere haec:

1. *Castitas est virtus.* Etenim « in hoc... ratio virtutis humanae consistit, quod sit aliquid secundum rationem modificatum » (S. Thom. 2. 2. q. 151, a. 1). Atqui castitas secundum rationem moderatur appetitum et usum venereorum.

2. *Castitas est pars subiectiva seu species temperantiae.*

Siquidem temperantia « refraenat appetitum ab his quae maxime alliciunt hominem » (S. Thom. 2. 2. q. 141, a. 2); hinc partes eius subiectivae sunt, quae temperant aliquam ex delectationibus, quae hominem maxime alliciunt. Atqui castitas illud peragit, immo moderatur delectationem, quae prae omnibus aliis hominem allicit, delectationem inquam venereorum (S. Thom. 2. 2. q. 146, introd., coll. q. 141).

3. *Castitas est virtus distincta ab aliis partibus subiectivis temperantiae*, i. e. ab abstinentia et sobrietate. Etenim virtutes, quae respiciunt motus et operationes formaliter diversas, una ab altera differt. Atqui castitas respicit operationes formaliter diversas ab eis, quas respiciunt abstinentia et sobrietas. Prior enim versatur circa appetitum et usum venereorum, quibus conservatur natura speciei; posteriores circa appetitum et usum ciborum vel potuum, quibus natura individui conservatur; quae operationes formaliter diversae sunt (S. Thom. 2. 2. q. 151, a. 3).

15 II. **Divisio.** Castitas dividitur:

1. Ratione *subiecti* in *iuvenilem, coniugalem, vidualem* et *virginalem. Iuvenilis* est, qua iuvenes ante matrimonium ab omnibus venereis abstinent. *Coniugalis* est, qua coniuges excludunt omnia venerea ipsis illicita, licita autem prudenter moderantur. *Vidualis* est, qua quis tempore viduitatis abstinet ab omnibus venereis. *Virginalis* est, qua persona, immunis a voluntario actu venereo completo, omnia venerea excludit.

2. Ratione *obiecti* in *castitatem communem* et *virginitatem* prout moderatur vel excludit venerea. De virginitate plura dicenda sunt.

16 III. **Notio virginitatis.** « *Nomen* virginitatis, ita Angelicus, a *virore* sumptum videtur: et sicut illud dicitur virens et in suo virore persistere, quod non est ex superabundantia caloris adustionem expertum, ita etiam virginitas hoc importat, quod persona, cui inest, immunis sit a concupiscentiae adustione, quae esse videtur in consummatione maximae delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio » (S. Thom. 2. 2. q. 152, a. 1).

Ipsa virginitas est virtus, qua subiectum ab acto venereo completo et voluntario immune, e fine honesto et supernaturali propositum capit perpetuo ab omnibus venereis abstinendi. Re-

quiruntur igitur duo, nimirum immunitas et propositum modo assignata. « In delectatione autem venerea, inquit *S. Thomas, tria* est considerare. *Unum* quidem, quod est ex parte corporis, scilicet violatio signaculi virginalis; *aliud* autem est, in quo coniungitur id quod est animae, cum eo quod est corporis, scilicet ipsa resolutio seminis delectationem sensibilem causans; *tertium* autem est solum ex parte animae, scilicet propositum perveniendi ad talem delectationem. In quibus quod *primo* positum est, *per accidens* se habet ad moralem actum, qui non consideratur per se nisi secundum ea quae sunt animae; *secundum* vero *materialiter* se habet ad actum moralem, nam sensibiles passiones sunt materia moralium actuum; *tertium* vero se habet *formaliter* et completive; quia ratio moralium in eo quod est rationis, completur. Quia ergo virginitas dicitur per remotionem praedictae corruptionis, consequens est, quod *integritas* membri corporalis *per accidens* se habeat ad virginitatem; ipsa autem *immunitas a delectatione,* quae consistit in seminis resolutione, se habet *materialiter;* ipsum autem *propositum* perpetuo abstinendi a tali delectatione se habet *formaliter* et completive in virginitate » (2. 2. q. 152, a. 1). Ceterum advertas:

1. Propositum abstinendi a venereis e fine honesto capiendum est; nam « omnimoda abstinentia a venereis spectata secundum se et sistendo in illa, nullam importat honestatem: quia nec secundum se ratione, ut sic dicamus, solius sterilitatis naturae proficit, vel commodum affert; honestatur autem ex fine cui deservit, qui est vacare Deo et rebus divinis, pro quo necesse est a terrenis et temporalibus feriari »[1]. Denique requiritur finis *supernaturalis,* quia de sola virtute supernaturali sermo nobis est.

2. Controvertitur, num ad virtutem virginitatis sufficiat propositum an requiratur *votum* abstinendi a venereis. Alii[2] contra alios[3] votum requirunt, saltem ut virginitas sit virtus a communi castitate distincta. De sententia *S. Thomae* disputatur.

S. Doctor in IV sentent. dist. 33, q. 3, a. 2, ad 4 ita dicit: « Completa ratio virginitatis prout est virtus, non est nisi in illis, qui

---

[1]. SALMANTICENSES. De virtutibus, arbor praedicamentalis, n. 119; S. Thom. 2. 2. q. 152, a. 3.

[2]. SALMANTICENSES, l. c. n. 121; CAIETANUS, In 2. 2, q. 152, a. 3; WAFFELAERT, De virtutibus cardinalibus, n. 127.

[3]. DOMINICUS SOTO, In 4 dist. 49, q. 5, a. 2; SYLVIUS, In 2. 2. q. 152, a. 3.

habeant electionem conservandi integritatem, hactenus custoditam, usque in finem, sive sine voto vel cum voto ». Et ibidem dist. 49, q. 5, a. 3: « Illis tantum virginitatis aureola proprie debetur, qui propositum habuerunt virginitatem perpetuo conservandi, sive hoc propositum voto firmaverint sive non ». At in 2. 2. q. 152, a. 3, ad 4 docet: « Ad quartum dicendum quod virginitas, secundum quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis perpetuo servandae; dicit enim August. in lib. de Virginit. (cap. 8), quod » per virginitatem integritas carnis ipsi Creatori animae et carnis vovetur, consecratur, servatur; unde virginitas secundum quod est virtus, numquam amittitur, nisi per peccatum. « Ex quo infert *Caietanus*, hic virginitatem iuxta S. Doctorem non esse virtutem specialem a castitate distinctam, nisi sit voto firmata; et S. Thomam hic retractasse quod iunior dixerat. Alii autem respondent, S. Thomam sic loqui de virginitate secundum gradum perfectum et prout communiter colitur » [1].

17 IV. **Moralitas virginitatis.** 1. *Virginitas est virtus.* Etenim ut n. 14 ex S. Thoma notavimus, « in hoc... ratio virtutis humanae consistit, quod sit aliquid secundum rationem modificatum » (S. Thom. 2. 2. q. 151, a. 1). Atqui virginitas secundum rectam rationem excludit appetitum et usum venereorum.

Prob. minor. Secundum rectam rationem est abstinere a delectationibus corporis ad vacandum bonis vitae contemplativae; — ordo enim rationis exigit, ut ad vacandum maioribus bonis possit quis a minoribus bonis abstinere. — Sed virginitas abstinet a delectationibus corporalibus, ut liberius vacet contemplationi divinorum, secundum haec Apostoli: « Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu: quae autem nupta est, cogitat quae mundi sunt, et quomodo placeat viro » [2]. Unde relinquitur quod virginitas non est aliquid vitiosum sed potius laudabile seu virtus (S. Thom. 2. 2. q. 152, a. 2) [3]. Adde omnia et singula, quae sub V de excellentia virginitatis dicturi sumus.

18 *Obi.* Virginitas adversatur praecepto conservandi et propagandi speciem humanam; ergo nequit esse virtus.

Resp. Disting. Mai.: Virginitas universaliter servata adversatur legi conservandi et propagandi speciem humanam: *conc.;* ab aliquibus servata, *nego.* Nimirum « dupliciter... aliquid est debitum: uno modo, ut impleatur ab uno; et hoc debitum sine peccato praeteriri non potest: aliud autem est debitum implendum a multitudine; et ad tale

---

[1]. BILLUART, De temperantia, diss. 4, art. 3.
[2]. I, Cor. VII, 34.
[3]. *Hier. de Medicis,* h. l. S. Thomae.

debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine » (S. Thom. 2. 2, q. 152, a. 2). Sed praeceptum datum de generatione respicit totam multitudinem hominum; hinc non requiritur, ut a singulis servetur, sed sufficit, ut a multis impleatur: quo negato, omnes omnino homines, matrimonii capaces, illud inire tenerentur; quod nemo dixerit (S. Thom. l. c.; S. Alf. Opera Dogm. I, tract. III, De fidei veritate, c. 13, n. 11). Accedit quod abstinentia aliquorum ipsi multitudini maxime prodest; siquidem multitudini « necessarium est, non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat; et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent, quidam vero ab hac abstinentes, contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem: sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant » (S. Thom. l. c.).

Notes denique, abstinentiam a venereis neque ideo vitiosam esse, quia ob seminis redundantiam sanitati nocet; quandoquidem contrarium testantur periti. Nimirum *primum* « apud sequiorem sexum semen redundans nunquam existit; scimus enim ovula matura regulariter ab ovariis deponi atque e corpore deiici, necnon ita etiam obtinere de menstruis seu de sanguine superfluo, quem innuptae mensibus singulis emittunt. Ad coelibes viros autem quod spectat, haec notanda sunt: — 1° Ipsorum organorum in semine elaborando operositas continuo minor evadit[1]. 2° Semen nihil in se mortiferum seu corpori nocivum continet, immo, ubi praesertim copiosius invenitur, per absorptionem multum iuvat. 3° Denique apud eos in quibus, diligentius organis operantibus, vera seminis abundantia obtinet, natura ipsa sponte seu citra omnem liberam voluntatem per pollutiones nocturnas in somno se exonerat[2]. Non est itaque cur continentia absoluta coelibatus corpori humano adversari censeatur, dum e contra prosperitati eiusdem atque totius hominis favere possit »[3], quod iterum testatur *Bossu*[4].

2. *Virginitas secundum S. Thomam est virtus distincta a* 19
castitate communi. Ita cum S. Doctore multi auctores, aliis[5] negan-

[1] .Comme tous les autres, ait D. Bossu, les organes de la génération perdent leurs facultés et tendent à s'atrophier, lorsqu'ils sont plongés dans le repos et l'inaction complète » (apud Eschbach, o. c. p. 481.

[2]. Unde ita D. Bossu: « Les pollutions qui se produisent pendant le sommeil, chez les sujets vigoureux et observant la continence, sont salutaires; loin de fatiguer, d'être nuisibles, elles rendent le corps et l'esprit plus dispos ». « Il faut toutefois, pergit idem auctor, qu'elles soient modérées, car en se répétant trop souvent elles peuvent devenir cause de pertes atoniques » (apud Eschbach, l. c.).

[3]. Eschbach, o. c. p. 481.

[4]. « Quand les passions sont calmes,... la continence devenue facile n'a plus d'inconvénient, ou plutôt elle a des avantages en ce qu'elle rend le corps plus dispos, plus alerte, l'esprit plus pénétrant et les autres plaisirs plus vifs et plus doux » (Eschbach, o. c. p. 481).

[5]. Lessius, De iustitia, l. 4. c. 2, n. 99 sq.; Vermeersch, *De castitate*, n. 1519.

tibus. Nam « ubi est specialis materia boni habens specialem excellentiam, ibi invenitur specialis ratio virtutis; sicut patet in magnificentia, quae est circa magnos sumptus, et ex hoc est specialis virtus a liberalitate distincta, quae communiter se habet circa omnem pecuniarum usum. Hoc autem quod est conservare se immunem ab experimento venereae voluptatis, habet quamdam excellentiam laudis supra hoc, quod est conservare se immunem ab inordinatione venereae voluptatis, et ideo virginitas est quaedam specialis virtus habens se ad castitatem, sicut magnificentia se habet ad liberalitatem » (S. Thom. 2. 2. q. 152, a. 3). Notes, *S. Thomam,* ut videtur, ex speciali materia boni, habenti specialem excellentiam, potius quam ex speciali difficultate omnimodae abstinentiae argumentari.

20 3. *Virginitas,* quamvis omnimoda abstinentia a venereis e fine extrinseco (practice *religionis*) honesta evadat, tamen aeque ac castitas communis *ad genus castitatis pertinet.* Virtus enim reducitur ad genus istius virtutis, cuius obiectum attingit idque modo isti virtuti proprio; quod patet ex doctrina de divisione virtutum in genere. Atqui virginitas aeque ac castitas communis versatur circa obiectum castitatis, scilicet circa venerea, eaque modo castitati proprio attingit, scilicet sub ratione *temperantiae.*

Ita quoque *S. Thomas;* quod deducitur ex eo quod « non desumit praedictam distinctionem ex aliquo spectante ad religionem vel ad aliam virtutem extra genus castitatis, sed ex propria virginitatis materia intra praedictum genus, quae est omnimoda continentia a venereis [1]. Accedit quod argumentum suum confirmat exemplo de magnificentia respectu liberalitatis; « quo (exemplo) etiam utitur in solut. ad 5, ubi, facta collatione ad castitatem coniugalem et vidualem, concludit: sola virginitas ponitur virtus specialis supra castitatem, sicut magnificentia supra liberalitatem. Magnificentiam autem et liberalitatem distingui essentialiter in via D. Thom. secundum propriam materiam, nemo est qui dubitet » [2]. Denique q. 152, a. 2 haec habet: « Aliquid potest dici excellentissimum dupliciter; uno modo in aliquo genere: et sic virginitas est excellentissima, scilicet in genere *castitatis* ».

21 V. **Excellentia virginitatis.** *Virginitas praefertur statui matrimoniali.* Est de fide e Conc. Trid. sess. 24, can. 10. Probatur 1°e *S. Scriptura.* « Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa

---

[1]. SALMANTICENSES, l. c.
[2]. SALMANTICENSES, l. c.

hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi,... qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat » [1]. — « Igitur et qui Matrimonio iungit virginem suam bene facit; et qui non iungit melius facit » [2]. Probatur 2° e *SS. Patribus,* qui perpetuo, integris quoque operibus, praeclaris laudibus *virginitatis* statum supra Matrimonii statum extollunt. « Iure divino », inquit *S. Aug.,* « continentia connubio, et nuptiis pia virginitas anteponitur » [3]. Et alibi : « Virginalis autem integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis » [4]. Ita quoque (Pseudo?) S Clem. Rom. [5], Athenag [6], S. Athanas. [7], S. Cyrill. Hieros [8], S. Greg. Naz. [9], S. Epiphan. [10], S .Greg. Nyss. [11], S. Io. Chrys. [12], S. Aphraätes [13], Theodoret. [14], S. Jo. Damasc. [15], Tertull. [16], S. Cyprian. [17], S. Ambros. [18], S. Hieron. [19], S. Fulgent [20]. Probatur 3° *ratione;* « tum quia bonum divinum est potius humano bono; tum quia bonum animae praefertur bono corporis; tum etiam quia bonum contemplativae vitae praefertur bono activae: virginitas autem ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea quae sunt Dei; coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis

---

[1]. S. Matth. XIX, 10-12.
[2]. 1. Cor. VII, Cfr. ibid. 25-40 et Apocal. XIV, 1-4.
[3]. De sancta virgin. c. 1, n. 1, (Ed. G. 6. col. 579).
[4]. Ibid. c. 13, n. 12 (col. 585).
[5]. Epist. 1 ad virgin. c. 4 (M. P. G. 1 coll. 388).
[6]. Leg. pro christ. n. 33 (M. P. G. 6 coll. 966).
[7]. Apolog. ad Const. n. 33 (M. P. G. 25 col. 639).
[8]. Catech. 4 c. 24-5. (M. P. G. 33 col. 486-7).
[9]. Orat. 37 c. 10-11 (M. P. G. 36 col. 294-5), et c. 13 (col. 298).
[10]. Adv. haeres. Expos. fid. c. 21 (M. P. G. 42 col. 823-6 incl.
[11]. De virgin. passim (M. P. G. 46, col. 318 sqq).
[12]. De virgin c. 9-10 (M. P. G. 48 col. 539-40).
[13]. Demonstr. 18 De virgin. et sanct. n. 8 (Ed. Graffin. P. Syr. t. 1 col. 835-8 incl.).
[14]. In. 1 Cor. 7. v. 26 et 38 (M. P. G. 82 coll. 282 et 286).
[15]. De fid. orth. 1. 4 c. 24 (M. P. G. 94 col. 1210).
[16]. I. 1 Ad uxorem c. 2-4 incl. (M. P. L. 1 col. 1277-82 init.).
[17]. De habitu virgin. c. 3-4 (M. P. L. 4 col. 443-4), et c. 23 (col. 463).
[18]. I. 1. De virgin c. 3 n. 11 et 13 (M. P. L. 16 col. 191-2). — De Viduis, c. 12 n. 72 (ib. col. 256).
[19]. Epist. 22, n. 19-20 (M. P. L. 22 col. 405-7 incl.) — Adv. Iovin. passim (ib. 23 col. 211 sqq.).
[20]. Epist. 3 c. 9-10, n. 14-17 incl. (M. P. L. 65 col. 329-31 incl.).

humani; et pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare quae sunt mundi, ut patet per Apostolum I ad Cor. 7.; unde indubitanter virginitas praeferenda est continentiae coniugali » (S. Thom. 2. 2. q. 152, a. 4; cfr. S. Alf. Op. Dogm. I, p. 644 sq.).

22 VI. **Praemium speciale virginitatis.** Virginitati competit praemium speciale, quod dicitur *aureola.* Iam vero:

1. *Aureola* vi vocis idem sonat ac *corona aurea minor.* Quia nempe iuxta Scripturam S. vita hominis in terris est militia [1] seu certamen [2] ad obtinendum regnum coelorum [3], vel etiam stadium, in quo currendum est ad comprehendendum bravium [4]; ac proin beatitudo coelestis per modum coronae iustitiae [5] atque immarcescibilis gloriae [6] proponitur; theologi beatitudinem essentialem *coronam auream* vel etiam absolute *auream* vocare consueverunt. Quia vero in S. Scriptura nonnullis propter insignem quamdam victoriam, non omnibus communem, speciale quoddam praemium promittitur, tale praemium, utpote essentiali beatitudine minus, a theologis *aureola* dicitur. Haec autem ad mentem *Divi Thomae* (cfr. Suppl. q. 96, a. 1) a *S. Alfonso* definitur: « Gaudium seu praemium accidentale, superadditum ob excellentem victoriam » (Op. Dogm. II, Dissertationes de novissimis, § VIII). Illud autem gaudium etiam redundabit in corpus beati, quemdam efficiens specialem decorem (S. Thom. Suppl. q. 96, a. 10; S. Alf. l. c.).

2. *Aureolae distinguuntur tres, scilicet Virginum, Martyrum et Doctorum.* Ita plures S. S. Patres; item theologi communiter innixi aliquibus textibus S. Scripturae [7]. « Dicendum, inquit Angelicus, quod aureola est quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens; et ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, quae cuilibet homini imminent, tres aureolae sumuntur. In pugna enim, quae est contra *carnem,* ille potissimam victoriam obtinet, qui a delectabilibus venereis, quae

---

1. Cfr. Iob. VII, 1.
2. Cfr. 2 Tim. IV, 7.
3. Cfr. Apoc. V, 10. — Math. V, 10 et XIX, 12.
4. Cfr. 1 Cor. IX. 24-25. — Philipp. 3, 14.
5. Cfr. 2 Tim. IV, 8.
6. Cfr. 1 Petr. V, 4.
7. Cfr. Proph. Danielis, XII. 3; Apoc. VII, 4; XIV, 3, 4.

sunt praecipua in hoc genere, omnino abstinet cuiusmodi est virgo; et ideo *virginitati* aureola debetur. In pugna vero, quae contra *mundum* pugnatur, illa est praecipua victoria, cum a mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus, unde *martyribus,* qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur. In pugna vero, quae contra *diabolum* pugnatur, illa est praecipua victoria, cum aliquis hostem non solum a se, sed etiam a cordibus aliorum removet; quod fit per doctrinam et praedicationem; et ideo *doctoribus* et *praedicatoribus* tertia aureola debetur » (Suppl. q. 96, a. 11).

« Quidam vero distinguunt tres aureolas secundum tres vires animae, ut dicantur tres aureolae respondere potissimis trium virium animae actibus: potissimus enim actus potentiae rationalis est veritatem fidei etiam in aliis diffundere; et huic actui debetur *doctorum* aureola: irascibilis vero actus potissimus est, etiam mortem propter Christum superare; et huic debetur aureola *martyrum:* concupiscibilis vero actus potissimus est a delectabilibus carnis maximis abstinere penitus, et huic debetur aureola *virginum* » (l. c.)

« Alii vero aureolas tres distinguunt, secundum ea quibus Christo nobilissime conformamur: ipse enim mediator fuit inter Patrem et mundum; fuit ergo doctor, secundum quod veritatem, quam a Patre acceperat, mundo manifestavit; fuit autem martyr, secundum quod a mundo persecutionem sustinuit; fuit vero virgo, inquantum puritatem in seipso servavit: et ideo *doctores, martyres et virgines* ei perfectissime conformantur: unde talibus debetur aureola » (l. c.).

3. Ut ius in aureolam acquiratur, requiritur-praeter statum gratiae et immunitatem ab actu venereo completo et voluntario-propositum perpetuo abstinendi a venereis. Disputatur, utrum necne requiratur *votum* (n. 16). Ceterum propositum (vel votum) sufficit, etiam si quis sive ex privilegio, ut B. M. Virgo, sive ex alia causa stimulum carnis non experiatur, ideoque sine pugna vivat et moriatur; item si quis propositum (vel votum) abstinendi a venereis eliciat, postquam matrimonium frustra exspectaverit, modo tamen propositum (vel votum) vere et ex motivo supernaturali elicitum fuerit.

23 VII. **Amissio virginitatis.** Virginitas perit:

1. *Irreparabiliter* eo ipso quod voluntarie perditur *materiale* virtutis, a. v. per voluntarium (sive in se, sive in causa) actum venereum completum. Virginitas enim requirit immunitatem ab experimento voluntario venereae voluptatis (n. 16). Atqui fieri nequit ut « qui expertus est voluptatem veneream, fiat non expertus » (S. Thom. 2. 2. q. 152, a. ad 3). Per actum venereum completum perit virginitas, etiam si signaculum virginale maneret intactum. Disputatur, num virginitas *irreparabiliter* amittatur per *consensum* in actum completum *dum* locum habeat, ipso actu praeter voluntatem exorto. Alii affirmant; scilicet eorum opinione sufficit consensus in factum praesens resolutionis seminis [1]. Aliis [2] contrarium admittendum seu dicti facti voluntaria effectio videtur necessaria, ut virginitas irreparabiliter amittatur.

Virginitas irreparabiliter amissa potest tamen reparari *secundum quid,* ut dicitur, scilicet secundum *formale* virtutis. » Dicendum, inquit *S. Thomas,* quod virtus per poenitentiam reparari potest, quantum ad id quod est formale in virtute, non autem quantum ad id quod est materiale in ipsa: non enim si quis magnificus consumpserit divitias suas, per poenitentiam peccati restituuntur ei divitiae; et similiter ille qui virginitatem peccando amisit, per poenitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum » (2. 2. q. 152, a. 3, ad 3).

2. *Reparabiliter* perit virginitas per propositum matrimonii ineundi illudque consummandi; item per quodvis peccatum mortale luxuriae, quod non destruit materiale virginitatis, puta per actum internum, per commotionem veneream, quae ad actum completum non pertingit (Cfr. S. Thom. in 4 d. 33, q. 3, a. 1. ad 4). Disputatur de eo, qui alium ad peccatum luxuriae inducit. Alii [3] affirmant censentque, propositum abstinendi a venereis, ad virginitatem requisitum, sese extendere ad quodvis peccatum contra castitatem. Alii [4] autumant, dictum propositum sese extendere tantum ad actus directe proprios.

Quaer., utrum virginitas irreparabiliter an reparabiliter pereat

---

[1]. Eschbach, o. c. p. 501 sq.
[2]. Vermeersch, De Castitate, n. 142.
[3]. Waffelaert, o. c. n. 123.
[4]. Vermeersch, o. c. n. 142.

per actus libidinosos, qui de se ad actum completum perducant, *si de facto actus completus non sequatur.*

Alii[1] videntur *irreparabilem* amissionem astruere. Alii[2] distinguunt censentque, virginitatem in casu *irreparabiliter* amitti ab eis, qui actus completi capaces sunt; item ab eis, qui solum per accidens, ut aliqui infirmi, vel ex industria, ut eunuchi incapaces facti sunt: *reparabiliter* a pueris, qui nimirum per se ad actum completum inepti sunt. Ratio allegatur, quia in prioribus elementum materiale virginitatis remanet tantum per accidens. Sed dicendum videtur, virginitatem in casu posito nunquam irreparabiliter amitti; siquidem de facto remanente elemento materiali virtutis, haec, accedente elemento formali, semper restitui videtur.

S. Thomas haec habet: « Si luxuria contra naturam tempus perfectae aetatis praeveniat, cum non adsit seminis decisio et per consequens nec delectatio completa mentem suffocans, non amittitur virginitas quantum ad id, quod est materiale in ipsa » (In 4 d. 33, q. 3, a. 1, ad 4).

3. *Nullatenus* perit virginitas per laesionem signaculi virginalis, quae non contingit per copulam sed alio modo, puta per saltationem vel medicationem. Neque amittitur per pollutionem involuntariam vel copulam vi extortam, in quam non consentit virgo. Per complacentiam posteriorem de copula involuntarie habita perit quidem virginitas, sed reparabiliter, ut supra diximus.

VIII. **Recuperatio virginitatis** (reparabiliter amissae). Virgini- 24
tas si amissa est per propositum ineundi et consummandi matrimanii, recuperatur per renovationem propositi abstinendi ab omnibus venereis. Si per peccatum amissa est, recuperatur per poenitentiam una cum praedicto proposito.

---

[1]. VERMEERSCH, o. c. n. 142.
[2]. CAIETANUS, in 2. 2. q. 152, a. 1; BILLUART, De Castitate, art. 5; ESCHBACH, o. c. p. 502.

SECTIO II.

De vitio opposito seu de luxuria.

(S. Thom. 2. 2, q. 153-154; S. Alf. Theol. Mor. III, n. 412-485; Hom. Apost. tract. 9).

Dicemus *primum* de luxuria generatim, *deinde* de luxuria consummata naturali, *tum* de luxuria consummata innaturali, *denique* de luxuria non consummata.

CAPUT I.

De luxuria generatim.

25 I. **Notio.** Luxuria est: Appetitus et usus venereorum ut talium inordinatus (S. Alf. III, 412). Dicitur:

1. *Appetitus;* qua voce comprehenduntur actus interni circa venerea.

2. *Usus;* quae vox actus externos respicit.

3. *Venereorum;* quo nomine veniunt semen et humor quidam spermaticus a semine distinctus. Dicuntur *venerea,* quia inserviunt generationi, cui secundum gentiles dea Venus praeerat.

4. *Ut talium.* Venerea *ut talia* intelliguntur venerea considerata *secundum* se seu quatenus talis naturae sunt, non autem quatenus sunt *pars corporis.* Porro usum venereorum ut talium constituunt actus venerei tam completi quam incompleti (n. 10); usum — si hac voce in casu uti liceat — usum vero venereorum ut sunt pars corporis constituit v. g. ablatio artificialis seminis infecti. Porro si in decursu tractatus de usu venereorum sermo est, semper venerea *ut talia* intelliguntur; quod semel pro semper dictum sit.

5. *Inordinatus,* i. e. qui aut nullatenus ordinatur ad bonum speciei, ut v. g. pollutio, aut ordinatur quidem ad speciei propagationem, a. v. ad generationem, non autem ad generati conservationem et educationem, ut v. g. fornicatio.

26 II. **Divisio.** Luxuria distinguitur:

1. In *consummatam* et *non consummatam* prout actus luxuriae completus est vel non completus (n. 10).

2. In *naturalem* et *innaturalem* prout actus de se aptus est

generationi, ut fornicatio, vel non est aptus ad eam, ut pollutio.

3. In *directe voluntariam* et *indirecte voluntariam* prout intenditur vel non intenditur, sed ex actione secuturus praevidetur et praecaveri debet.

III. **Moralitas.** 1. *Omnis luxuria peccatum est.* Probatur 1° ex **27** *S. Scriptura.* « Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei »[1]. — « Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt »[2]. — « Manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur »[3]. 2° *Ratione.* Usus rei, qui caret ordinatione ad finem naturalem istius rei, peccatum est, nisi ipsa illa res ad finem intermedium fine suo naturali altiorem ordinetur. Atqui omnis luxuria involvit usum rei, scilicet venereorum, qui caret ordinatione ad finem naturalem venereorum; ipsaque venerea ad finem intermedium fine suo naturali altiorem non ordinantur. Ergo omnis luxuria peccatum est.

Maior patet ex eo, quod qui utitur aliqua re contra finem suum naturalem, agit contra ordinationem Auctoris naturae, nisi Ipsemet istam rem insuper ad finem intermedium altiorem ordinaverit. « Dicendum, inquit *S. Thomas,* quod peccatum in humanis actibus est, quod est contra ordinem rationis: habet autem hoc rationis ordo, ut *quaelibet* convenienter ordinet in *suum finem;* et ideo non est peccatum, si per rationem homo utatur rebus aliquibus ad finem, ad quem sunt » (2. 2. 9. 153, a. 2); quae utique etiam venereis applicanda. Hinc S. Doctor mox edicit, quod seminis emissio « taliter debet fieri, ut conveniat *fini, ad quem eo indigetur* » (2. 2. q. 153, a. 3, ad 1; cfr. De malo, q. 15, a. 1, ad 4).

Minor duo continet, quae expositione vel probatione indigent. *Prius* est: Luxuria involvit usum venereorum, qui caret ordi-

---

[1]. Eph. V, 5;
[2]. I. Cor. VI, 9, 10.
[3]. Gal. V, 19, 21.

natione ad finem naturalem venereorum. Finis enim venereorum naturalis est bonum perfectum speciei humanae i. e. generatio et generandi per educationem perfectio (n. 33; S. Thom. Suppl. q. 41, a.). Atqui omnis luxuria involvit usum venereorum, qui caret ordinatione ad bonum perfectum speciei humanae. Nimirum luxuria innaturalis neque ad generationem neque ad educationem ordinatur; luxuria naturalis non ordinatur ad educationem; denique luxuria non consummata caret ordinatione ad actum completum legitimum sicque remota ad bonum speciei ordinatione destituitur; quae singula ex dicendis magis patebunt.

Alterum est: Ipsa venerea ad finem intermedium fine suo naturali altiorem non sunt ordinabilia; nam bonum speciei humanae immediate ad Deum, i. e. ad finem ultimum ordinatur [1].

Obi. 1. Quilibet potest licite uti, ut libet, eo quod suum est; sed in actu venereo homo non utitur nisi eo quod suum est, nisi forte in adulterio vel raptu. Ergo in usu venereo non potest esse peccatum.

Resp. Homo gaudet tantum dominio utili corporis sui eiusque seminis; quorum dominus est Deus O. M. Hinc eis uti tenetur secundum normam ab Auctore naturae statutam. Auctor autem naturae, ut probatum est, vetat usum, qualem involvit luxuria (S. Thom. 2. 2. q. 153, a. 3, ad 2).

Obi. 2. « Per actum venereum semen emittitur quod est superfluum alimenti; sed in emissione aliarum superfluitatum non attenditur aliquod peccatum; ergo neque circa actus venereos potest esse aliquod peccatum ».

Resp. « Semen est superfluum, quo indigetur: dicitur enim superfluum ex eo, quod residuum est operationis virtutis nutritivae; tamen indigetur eo ad opus virtutis generativae. Sed aliae superfluitates humani corporis sunt, quibus non indigetur, et ideo non refert, qualitercumque emittantur, salva decentia convictus humani. Sed non est simile in seminis emissione, quae taliter debet fieri, ut conveniat fini, ad quem eo indigetur » (S. Thom. 2. 2. q. 153, a. 3, ad 1).

Inst. Saltem in eis, quorum semen non est generativum, huius emissio peccato carebit.

Resp. « Praecepta moralia attendunt ad id quod secundum naturam est, et non ad id quod per accidens in hac vel complexione vel aetate invenitur; per se autem semen a natura ordinatur ad prolis generationem alioquin semen non esset. Et ideo circa seminationem quam-

---

[1]. Cfr. lucida argumentatio DUYNSTEE (o. c. p. 16 sq.), qui argumentum desumit ex eo quod actus luxuriae adversatur fini naturali *actus venerei;* quae videtur esse ratio proxima malitiae.

libet communia praecepta, quae maxime ex fine, qui est generatio, sumuntur, servanda sunt, quantumcumque per accidens generatio tunc sequi non possit »[1]. (Cfr. S. Thom. de Malo, q. 15, a. 2, ad 14).

2. *Omnis luxuria grave peccatum est.* Patet primum ex tex- 28
tibus S. Scripturae n. 27 allatis. *Deinde* omnis luxuria, ut modo diximus, peccatum est, quia involvit usum venereorum, privatum ordinatione ad bonum speciei. Atqui dicta privatio in singulis luxuriae speciebus gravis est seu gravem deordinationem continet. Ergo omnis luxuria grave peccatum est.

Minor probatur per partes. a) Privatio luxuriae *consummatae innaturalis* consistit, si de viro sermo est, in eo quod actus nec de se aptus est ad generandum hominem, nec ad generati educationem ordinatur; quae privationes graves sunt. Consistit, si de uxore sermo est, pariter in eo quod actus non ordinatur ad educationem; quae privatio pariter gravis est. Consistit quoad uxorem etiam in eo, quod actus non ordinatur ad generationem; verum cum seminatio uxoris nec necessaria sit, nec ad singulam generationem valde utilis esse probetur, gravitas istius privationis *non comprobatur.*

b) Privatio luxuriae *consummatae naturalis* consistit in eo, quod actus non ordinatur ad generandi educationem (n. 33); quae privatio gravis est.

c) Privatio luxuriae *non consummatae* consistit in eo, quod actus non est proxima et naturalis praeparatio ad actum consummatum legitimum; quae privatio pariter gravis est.

Alii argumentantur ex eo quod omnis luxuria involvit actum privatum essentiali relatione ad speciem[2]. Fateor me huius argumenti, sine additione propositi, vim non perspicere, fortassis, quia ipsemet argumenti sensus mihi impervius remansit. Restat enim, ut videtur, probandum, privationem istius relationis gravem esse. Quod si praestetur, argumentum in nostram probationem incidere videtur.

S. Thomas ita ratiocinatur: « Dicendum quod quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet ut circa illud rationis ordo servetur; unde per consequens magis est vitiosum, si ordo rationis praetermittatur: usus autem venereorum, sicut dictum est (art. praec.),

[1]. CAIETANUS in 2. 2, q. 153, a. 3.

[2]. Cfr. VERMEERSCH, De castitate et de vitiis contrariis, n. 352-354; MERKELBACH, (Quaestiones de castitate et luxuria, p. 22-23.

est valde necessarius ad bonum commune, quod est conservatio humani generis; et ideo circa hoc maxime attendi debet rationis ordo: et per consequens, si quid circa hoc fit praeter id, quod ordo rationis habet, vitiosum erit: hoc autem pertinet ad rationem luxuriae, ut ordinem et modum rationis excedat circa venerea; et ideo absque dubio luxuria est peccatum » (2. 2, q. 153, a. 3); quibus S. Doctor, ut patet ex eis, quae initio quaestionis praemittuntur, intendit *gravem* luxuriae malitiam comprobare. Ceterum confer dicenda de singulis luxuriae speciebus (n. 32-61); item de luxuria non consummata (n. 62-64).

29 3. *Luxuria ob nullum finem cohonestari potest.* Nam ut possit cohonestari, requiritur finis intermedius, cui bonum speciei humanae subordinatur, ita ut dictum finem intermedium, bono speciei neglecto, sectari liceat. Atqui bonum speciei humanae nulli fini intermedio subordinatur, sed immediate ordinatur ad finem ultimum, qui est Deus (S. Alf. III, 478).

Obi. 1. Sicuti licet ad servandam vitam amputare membra genitalia immo directe auferre semen, ita pariter licita videtur pollutio, si ad vitam tuendam necessaria supponitur.

Resp. Disparitas est in eo quod dictae operationes non involvunt, uti pollutio, usum venereorum *ut talium*, sed dispositionem circa ea quatenus sunt pars corporis, atque ut talis ad totum ordinata.

Obi. 2. Theologi olim concesserunt expulsionem seminis corrupti, etiamsi praeter intentionem aliqua seminis non corrupti emissio sequatur.

Resp. Theologi concesserunt seminis corrupti expulsionem, ope medicinae et sine libidine productam (S. Alf. III, 478); qualis expulsio non involvit, uti pollutio, usum venereorum ut talium. Ceterum semen corruptum iam non est verum semen[1].

Quaer., num graviter peccet, qui consentiat in delectationem veneream pollutionis vel commotionis venereae (cui aequiperatur distillatio libidinosa), praeter intentionem secutae.

Resp. Affirmative, idque valet etiam si agatur de motu venereo (v. g. de pollutione) *mere naturali.* Ratio est, quia omnia venerea, etiam venereae delectationes, ut a voluntate recte admittantur, ordinari debent ad bonum speciei; hic enim est omnium venereorum finis intermedius supremus. Atqui delectatio venerea,

[1]. Quaestio ista de expulsione seminis corrupti hodie iam non practica videtur. Nam iuxta modernos medicos semen non corrumpitur, quia pars seminis extra suam sedem internam egressa, vel sponte effluit, vel cum urina expellitur. Praeterea medici nullum medicamentum invenerunt, quo citra libidinosam pollutionem seminis minima etiam pars expellatur (GAUDÉ, Edit. Theol. Mor. S. Alfonsi III, 448, nota).

de qua sermo est, non ordinatur, quin etiam nequit ordinari ad bonum speciei; quae privatio gravis est. Ergo voluntas eam delectationem non admittat seu non consentiat in eam. Accedit quod consensus in delectationem motus venerei ipsum motum venereum fovet et auget.

4. *Luxuria consummata et non consummata specie differunt.* Id ab auctoribus communiter admittitur atque deducendum videtur ex eo quod actus non consummatus de se praeparat seu ducit ad actum consummatum. Quod autem ad actum consummatum praeparat, ab ipso actu moraliter diversum est. Haec autem valent tantum, si in actu non consummato sistitur; si vero actus non consummatus ordinatur ad actum consummatum et consummatus subsequitur, cum hoc unum numero et specie peccatum constituit[1]. Si actus consummatus utut intentus non subsequitur, habetur actus consummatus in affectu, non consummatus in effectu.

IV. **Effectus.** 1. *Luxuria est vitium capitale.* Nam vitium quod 30
habet finem multum appetibilem, ita ut homo ex eius appetitu procedat ad multa peccata perpetranda, est capitale. Sed luxuria habet finem multum appetibilem, ex cuius appetitu homo procedit ad multa peccata perpetranda. Ergo luxuria est vitium capitale.

Minor probatur ex eo quod finis luxuriae est delectatio venereorum, quae est maxima; et propterea huiusmodi delectatio est maxime appetibilis secundum appetitum sensitivum, et hoc tum propter vehementiam delectationis, tum etiam propter connaturalitatem eiusmodi concupiscentiae[2].

2. *Luxuria non solum multa peccata verum etiam alia mala moralia causat,* quae ad peccata adducunt, scilicet caecitatem mentis, inconsiderationem, praecipitationem, inconstantiam, amorem sui, odium Dei, affectum praesentis saeculi et horrorem futuri; quae dicuntur *filiae luxuriae.* Ea autem a luxuria effici, ita probat *S. Thomas:* Quando inferiores potentiae vehementer afficiuntur ad sua obiecta, consequens est quod superiores vires impediantur et deordinentur in suis actibus. Atqui per vitium luxuriae appetitus inferior vehementer intendit suo obiecto propter vehementiam passionis et delectationis. Ergo per luxuriam maxime superiores vires, scilicet ratio et voluntas in suis actibus

---

[1]. Hoc casu applicari potest quod *S. Thomas* de simili casu edicit: « Peccatum cordis et oris non distinguuntur a peccato operis quando simul cum eo coniunguntur, sed prout quodlibet horum per se invenitur; sicut etiam pars motus non distinguitur a toto motu quando motus est continuus, sed solum quando motus sistit in medio » (Ethic., l. 10, c. 4).

[2]. *Hieronymus de Medicis,* in 2. 2, q. 153, a. 4.

deordinantur. Distinguuntur autem quatuor actus rationis, duo voluntatis circa agenda: quorum singuli per luxuriam vitiantur.

Primus actus *rationis* est simplex intelligentia, quae apprehendit aliquem finem ut bonum; et hic actus impeditur per luxuriam, et quantum ad hoc ponitur *caecitas mentis,* qua fit ut luxuriosus pro fine debito ultimo vel medio non apprehendat eum, qui vere est talis, sed aberret, et alium finem indebitum sibi constituat.

Secundus actus est consultatio de mediis; et hic etiam impeditur per luxuriam, et quantum ad hoc ponitur *praecipitatio,* qua fit, ut homo non adhibeat deliberationem sufficientem circa media et finem.

Tertius actus est iudicium de agendis, qui etiam impeditur per luxuriam, et quantum ad hoc ponitur *inconsideratio,* qua fit, ut quis deficiat in seligendis mediis inter plura ad finem aptioribus.

Quartus actus est imperium rationis circa agenda, qui etiam impeditur per luxuriam, et quantum ad hoc ponitur *inconstantia,* qua fit, ut luxuriosus non exequatur id quod decernit esse faciendum; unde Terentius in Eunucho de quodam qui dicebat se recessurum ab amicitia: « Haec verba una falsa lacrymula restringet ».

Primus actus *voluntatis* est appetitus finis, qui impeditur per luxuriam, et quantum ad hoc ponitur *amor sui,* quo luxuriosus non solum se inordinate amat, id enim est commune omni peccato, sed quo amat carnem suam et eius voluptates, sic ut in eis ultimum finem suum constituat. Et per oppositum ponitur *odium Dei,* qui prohibet et punit delectationem concupitam.

Alius actus voluntatis est circa media ad finem, et quantum ad hoc ponitur *affectus praesentis saeculi,* cui luxuriosus ita adhaeret propter suas voluptates, ut in eo semper vellet manere; et per oppositum *horror* et *desperatio futuri saeculi:* horror, quia luxuriosus scit per mortem se privandum suis voluptatibus et gravissima tormenta pro eis subiturum; item desperatio, quia luxuriosus dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit (S. Thom. 2. 2. q. 153, a. 5)[1].

Caput II.

De luxuria consummata naturali.

31 Luxuria consummata naturalis est actus luxuriae, qui de se aptus est ad generationem. Distinguuntur autem sex species, scilicet: fornicatio, adulterium, stuprum, raptus, incestus et sacrilegium.

Dicta peccata specifice differunt; siquidem eorum obiecta specifice diversa sunt seu repugnantiam specifice diversam ad rectam rationem habent: quod ita exponit *S. Thomas:* Materia seu

---

[1]. Cfr. Billuart, De temperantia, diss. 5, art. 3.

obiectum luxuriae naturalis potest non convenire rectae rationi dupliciter:

I. « Uno modo quia habet repugnantiam ad finem actus venerei », quatenus scilicet « impeditur debita educatio et promotio prolis natae; est *fornicatio simplex,* quae est soluti cum soluta ».

II. « Alio modo materia, in qua exercetur actus venereus, potest esse non conveniens rationi rectae per comparationem ad alios homines. Et hoc dupliciter:

1. « Primo quidem ex parte ipsius feminae cui aliquis commiscetur », quia non servatur honor ei debitus sive ob propinquitatem, et est *incestus;* sive ab votum, et est *sacrilegium.*

2. « Secundo ex parte eius, in cuius potestate est femina; quae si est in potestate viri est *adulterium;* si autem est in potestate patris, est *stuprum*[1], si non inferatur violentia; *raptus*[1] autem, si inferatur » (2. 2, q. 114, a. 1).

Dicuntur autem species *luxuriae,* tum quia peccata enumerata committuntur ex affectu libidinis potius quam ex affectu iniustitiae etc., species autem moralis primarie desumitur ex fine; tum quia in eis habetur specialis repugnantia ad castitatem, sita in eo quod quis luxuriam committit cum aliqua persona, non obstante circumstantia quod ista persona est alii iuncta, vel consanguinea, vel sacra etc. (cfr. S. Thomas, De malo, q. 15, a. 3, ad 3).

§ 1. — *De fornicatione.*

I. **Notio.** *Fornicatio* est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu. 32

Dicitur *soluti cum soluta.* Porro personae *solutae* hic dicuntur, quae nullo vinculo speciali matrimonii, voti castitatis, consanguinitatis aut affinitatis ligatae sunt, verbo: nullo vinculo, unde malitiae luxuriae, alia malitia accederet (S. Alf. III, 432).

Dicitur *ex mutuo consensu;* quo significatur discrimen fornicationem inter et stuprum (n. 43) et raptum (n. 45).

II. **Moralitas.** Primum notes propos. 48 ab Innoc. XI damnatam: Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam 33

[1]. Notes, stuprum et raptum non eodem ac a S. Thoma sensu ab omnibus accipi (n. 43, 45).

involvere malitiam et solum esse malum quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

1. *Fornicatio est intrinsece et graviter mala.* Patet *primum* ex textibus S. Scripturae supra allatis (n. 27). *Deinde* actus generandi ita fieri debet, ut educationi hominis procreandi provisum, atque quidem, cum natura a defectuoso abhorreat, perfecte provisum sit. Atqui educationi non foret perfecte provisum, si actus generandi permitteretur eis, qui vinculo indissolubili, i. e. matrimonio non essent coniuncti, a. v. si fornicatio licita foret. Ergo fornicatio est illicita, idque sub gravi, quia defectus ordinationis ad educationem, de quo diximus, gravis est.

Minor probatur. Cum educatio exigat patris et matris cohabitationem et coöperationem eamque diuturnam, tunc tantum educationi perfecte provisum est, cum perfecte consultum est cohabitationi et coöperationi diuturnae. Atqui solum *vinculum indissolubile,* i. e. matrimonium *quantum est de se* perfecte providet patris et matris cohabitationi et cooperationi diuturnae vel etiam perpetuae; — non autem propositum, quod deponi potest; neque contractus mutuus communis, qui utriusque consensu dissolvi potest; neque votum, quod saltem dispensatione auferri potest.

Quoad diuturnam cohabitationem requisitam notat *S. Thomas:* « Manifestum est... quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instituendus, et defendendus, et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus; et ideo contra naturam hominis est, quod utatur vago concubitu; sed oportet quod sit maris ad determinatam foeminam, cum qua permaneat non per modicum tempus, sed diu vel etiam per totam vitam » (2. 2. q. 154, a. 2).

Idem argumentum hac quoque ratione proponi potest: Usus venereorum ordinari debet atque quidem, cum natura abhorreat a defectuoso, perfecte ordinari debet ad perfectionem hominis procreati; item, cum homo procreatus per educationem perficiatur, ad educationem; item, cum educatio exigat diuturnam parentum cohabitationem, ad cohabitationem diuturnam. Atqui sola copula inter personas *indissolubili vinculo,* i. e. matrimonio ligatas, perfecte ordinatur ad cohabitationem diuturnam, ut ex supra dictis patet. Ergo sola copula, a coniugatis peracta,

licita est, non autem copula peracta a solutis, i. e. fornicaria.

Obi. 1. Quandoque contingere potest, ut fornicarii, i. e. matrimonio non ligati, prolis procreandae educationi bene provisuri sint.

Resp. Transeat; sed natura seu Auctor naturae ex sua parte educationi prolis perfecte providisse censendus est. Id autem exigit, ut generatio eis solis permittatur, qui indissolubili vinculo coniuncti sunt (p. 26).

Obi. 2. Fornicatio saltem licita videtur, si iam certo proles generari nequit, puta si copulantes certo steriles sunt, vel femina ovariis privata est.

Resp. Praecepta moralia attendunt ad id, quod secundum naturam est, et non ad id, quod per accidens in hac vel complexione vel aetate invenitur; per se autem semen a natura ordinatur ad prolis generationem et perfectionem. Et ideo circa seminationem quamlibet communia praecepta, quae maxime ex fine-qui est generatio et generati perfectio-sumuntur, servanda sunt, quantumcumque per accidens generatio tunc sequi non possit (n. 27).

2. *Fornicatio christiani gravior est fornicatione ab alio patrata;* cuius asserti rationes hisce allegat Apostolus: « Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt *Christi?* Tollens ergo membra Christi, faciam membra *meretricis?* Absit. An nescitis quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una »[1]. — « Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in *corpus suum* peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt *Spiritus Sancti,* qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? »[2].

3. Quoad *gravitatem* peccati fornicationis relate ad alia peccata, accipe haec *S. Thomae:* « Fornicatio... est contra bonum hominis nascituri; et ideo est gravius peccatum secundum speciem suam peccatis, quae sunt contra bona exteriora sicut est furtum et alia huiusmodi: minus est autem peccatis, quae sunt directe contra Deum et peccato, quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium » (2. 2. q. 154, a, 3).

III. Ad fornicationem referuntur *concubinatus* et *meretricium;* 34
item quodammodo copula castrati et vasectomiam passi, atque copula onanistica.

---

[1]. 1 ad Cor. VI. 15, 16;
[2]. 1 ad Cor. VI. 18, 19.

1. *Concubinatus* est commercium carnale et habituale inter eosdem, sive in eadem sive in diversa domo habitant. Circumstantia concubinatus *speciem* peccati non mutat, ita ut per se non sit in confessione aperienda; confessario tamen interroganti manifestari debet.

Quoad *poenas* statuunt:

Canon 2357, § 2: Qui... in concubinatu publice vivant... excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint.

Canon 2359, § 1: Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis.

Quaer., num publica potestas possit tolerare concubinatum vigentem in coloniis, in quibus nimirum officiales tam civiles quam militares indigenam in concubinam assumunt, quam cum in patriam revertuntur, derelinquunt.

Resp. Attentis tam maxima difficultate nefariam istam consuetudinem tollendi quam eis, quae mox pro meretricibus tolerandis ab aliquibus allegabuntur, quaeque pro coloniis maiori iure quam pro aliis regionibus valere videntur, dictus concubinatus satis probabiliter tolerari potest.

Merito tamen scribit VERMEERSCH: « Haec... potestas publica seu magistratus sollicite cavere debent:

a) Ut nulla legitima uxor, nulla quoque ad fidem conversa femina in concubinam admitti permittatur, quo sic cum nuptiis tum religioni congruus honor servetur;

b) Ut severe reprimatur omnis concubinatus feminae quae non plene adoleverit, omnisque raptus et artificiosa seductio cuiuslibet mulieris.

c) Ut exteriori decentiae prospiciatur. Permitti nequit ut concubinae istae qua tales palam producantur, et quasi legitimae coniuges circumducantur et favoribus afficiantur. Oportet contra, ut necessitas turpe istud commercium quodammodo velandi seu celandi, tacitam rei reprehensionem contineat.

d) Ut qui castos servant mores tamquam per se officiis implendis meliores, ceteris saltem paribus, anteponantur.

Optandum denique est, ut in Europa meliores istarum regionum cultores paremus; utque foedere inito, qui ibi boni extant, a respectu humano atque a vitiorum contagio magis protegantur » [1].

---

[1]. De castitate et de vitiis contrariis, n. 213.

2. *Meretricium* consistit in eo quod mulier corporis sui usum unicuique concedere parata est. Mulier meretricio dedita dicitur *meretrix*[1]; domus ubi — passim cum aliis — habitat *lupanar* audit. De circumstantia meretricii valet, quod modo dictum est de concubinatu.

Meretricium distinguitur: 1° in *publicum* et *clandestinum* prout a publica potestate admittitur, vel non admittitur et clandestine exercetur; 2° in *meretricium lupanaris* et *meretricium liberum,* quod ultimum exercetur in viis et locis consitis.

Publica potestas nequit tolerare *meretricium liberum,* utpote quod non quaerentibus occasionem peccandi praebeat. Neque tolerare potest *meretricium lupanaris* in locis minoribus. Num illud, servatis servandis[2], in magnis civitatibus possit, disputatur. Alii affirmant, nimirum ut praecaveantur mala maiora, puta pollutio, sodomia, bestialitas, seductio puellarum honestarum, morbi venerei[3]. Alii negant censentque, ex una parte mala maiora ex lupanaribus toleratis non notabiliter minui, ex altera autem parte peccata ex eo notabiliter multiplicari. « Per meretrices, inquit *S. Alfonsus*... mala graviora non evitantur; eo quod in hominibus luxuriosis, ex facili et frequenti cum meretricibus congressu, libido altiores figit radices. Et ideo, cum hoc vitium frequentia magis augeatur, ipsi non desinunt committere pollutiones et peccata nefanda, saltem cum ipsis meretricibus; nec ideo se abstinent a sollicitandis feminis honestis. — E converso, permissione meretricum, innumera alia mala superaddunt: nempe plures puellae prostituuntur, adolescentes parentes parvipendunt, bona dissipant, studia scientiarum negligunt, rixas excitant, honestas nuptias respuunt » (III, 434). *S. Augustinus*[4], cuius verba profert *S. Thomas* (2. 2, q. 10, a. 11) passim dicitur favere sententiae

---

[1]. Meretrix concipere non consuevit, sive quia — ut passim contingit — sterilis evadit, sive quia conceptionem impedit. Si concipit, passim abortum procurat.

[2]. Scilicet lupanaria in viliores et semotas urbis regiones relegari debent.

[3]. Etiam meretrices, quibus testimonium sanitatis concessum est, permultos morbo venereo inficiunt.

[4]. « Aufer, ita *S. Augustinus,* meretrices de rebus humanis: turbaveris omnia libidinibus » (De Ordine, l. 2, c. 4, n. 12; ap. Migne, Patr. lat. t. 32, col. 1000). Notetur tamen, praefata verba non tam clare referre sententiam *S. Augustini.* Si consideramus, quae S. Doctor in suis retractationibus, in sua expositione contra Faustum docet, severiori sententiae adhaerere videtur (MARC-GESTERMANN, Institutiones morales Alphonsionae[18], I, n. 775, nota).

benigniori, cui etiam adhaeret Auctor opusculi « De Regimine Principium [1] ». *S. Alfonsus,* ut ex verbis suprà citatis patet, iam inclinabat ad sententiam severiorem, quae hodiedum ob mutatas circumstantias omnino sequenda videtur. Etenim — praeterquam quod lupanaria, uti notavimus, semper peccata potius multiplicasse quam diminuisse videntur — *primum* crimina, de quibus adversarii, spectata fortiori disciplina publica, magis praecaventur. *Deinde* lupanaria in locos « viliores et remotos » magnarum urbium iam vix relegari possunt. *Praeterea,* attentis maiori itinerandi facilitate auctoque cum magnis urbibus commercio, domus meretricum undique etiam e pagis facile adiri possunt atque adeuntur. *Denique* permissio lupanarium favet detestandae illi negotiationi in feminis et puellis, quae internationaliter lupanaribus magnarum urbium continuo providet novas luxuriae victimas, haud raro invitas aut deceptas: quae ratio sola iam plures nationes, immo et Societatem Nationum impulit tam ad impugnandum systema hucusque satis communiter vigens permittendi lupanaria, quam ad promovendum « abolitionismum », qui omnem conniventiam hac in re ex parte auctoritatis civilis reprobat [2].

3. Copula castrati et vasectomiam passi [3] (soluti cum soluta) ad fornicationem reducenda est. Copula onanistica soluti cum soluta est pollutio in effectu, accedente affectu ad fornicationem (n. 51).

§ 2. — *De adulterio.*

35 I. **Notio.** *Adulterium* est concubitus, qui laedit fidem thori coniugalis, sive proprii sivé alieni sive utriusque simul.

Habetur adulterium, etiamsi alter coniux consentiat. Sequitur ex propos. 50 ab Innoc. XI damnata: « Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in

---

[1]. L. 4, c. 14, post med.

[2]. Lex Neerlandica poenas statuit 1° contra *lenones,* i. e. eos, qui lupanari praesunt (Cod. poen. art. 250bis); 2° contra eos, qui lucrum capiunt ex mulieris luxuria seu *souteneurs* ut dicuntur (Cod. poen. art. 452); 3° contra eos, qui pro mercede mulieres tradunt meretricio (vrouwenhandelaars; Cod. poen. art. 250ter).

[3]. Castrati post pubertatem et vasectomiam passi capaces sunt seminationis in primo vel in altero concubitu, scilicet usquedum epididyma evacuatum fuerit; post dictam evacuationem possunt quidem servare erectibilitatem et penetrare vaginam, immo liquidum aliquod eiaculare, sed liquidum illud non est verum semen.

confessione dicere se esse fornicatum ». Ratio autem est, quia dictus consensus non impedit, quominus peccato contra castitatem accedat peccatum iniustitiae, ut infra magis exponetur.

II. **Divisio.** Adulterium distinguitur in *simplex* et *duplex* prout 36
unus vel uterque coniugatus est.

III. **Moralitas.** 1. Adulterium continet duplex peccatum, *luxu-* 37
riae scilicet et *iniustitiae* (S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 1, ad 2). Continet peccatum *luxuriae,* quia aeque ac fornicatio involvit usum venereorum, qui utpote peractus a personis indissolubili vinculo non ligatis, non perfecte ordinatur ad educationem prolis (n. 33). Continet peccatum *iniustitiae,* quia laedit ius sive propriae compartis sive compartis alienae sive utriusque. Dixi *sive utriusque,* nimirum si uterque coniugatus est; quo casu habentur duo peccata iniustitiae, quia duo iura distincta laeduntur (S. Alf. III, 445).

Quodsi alter coniux consentiat in concubitum compartis cum alio, habetur quidem, ut supra diximus, adulterium ideoque praeter luxuriam accedit peccatum alius speciei; atque quidem secundum sententiam fere communem *iniustitiae.* Sed disputatur, respectu *cuius* in casu iniustitia committatur. Alii [1] censent, non committi iniustitiam contra maritum, quia scienti et volenti non fit iniuria; sed respectu status coniugalis. Sed dicendum videtur, iniuste agi in ipsum maritum. Agitur enim de iure mariti cui renuntiare nequit nisi quoad exercitium proprium; quod igitur, non obstante consensu, persistit. Sed si ius mariti persistit, non perspicitur, cur non habeatur iniustitia respectu mariti, aeque ac si consensus locum non habuisset. Accedit quod status coniugalis non est persona moralis, quae iuribus strictis gaudeat, ita ut strictà iniustitia in eum committi nequeat (cfr. S. Alf. Hom. Ap. tr. 9, n. 16).

2. Quoad *relativam* adulteriorum *gravitatem* notes: Quod si femina adulterans sit coniugata, gravius habetur (peccatum) quam si vir; propter incommoda graviora, v. g. damnum veri heredis [2], prolis incertitudinem [3], etc [4]. Si vero uterque sit coniu-

[1]. Billuart, *De temperantia,* dissert. 6, a. 5; Merkelbach, o. c. p. 40.
[2]. Scilicet si femina coniugata est atque adulterat eo tempore quo concipere valet, periculum est, ne aliena proles marito supponatur et cum filiis legitimis hereditatem participet.
[3]. Scilicet dubium erit, cuiusnam sit proles.
[4]. Accedit scilicet quod mulier ex commixtione cum pluribus viris facile evadit sterilis.

gatus, adhuc gravius est, quia sunt duae iniuriae in utriusque coniugem, in confessione exprimendae (S. Alf. III, 445).

Nota 1. Pollutio coniugati quodam modo induit rationem adulterii, quia laedit ius compartis, quae sola habet ius in usum corporis compartis, secundum haec Apostoli: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier [1] (n. 104).

Nota 2. Concubitus cum *sponso* vel *sponsa aliena* satis probabiliter non induit rationem adulterii, seu satis probabiliter non adversatur iustitiae; siquidem argumenta adversariorum rem nullatenus evincunt. Argumentantur ex eo quod fornicatio rem promissam, i. e. corpus, in ordine ad matrimonium notabiliter deterius reddit. Sed primum merito in dubium vocatur id, quod adversarii supponunt, scil. per sponsalia induci obligationem iustitiae tradendi corpus *tale quale erat tempore promissionis.* Id si de alia promissione agatur, aliquando ex adiunctis patebit; verum in casu res dubia videtur. Deinde nequaquam *patet,* corpus per concubitum reddi notabiliter deterius in ordine ad matrimonium (S. Alf. VI, 847) [2].

§ 3. — *De incestu.*

38 I. **Notio.** Incestus dicitur ab *in* et *castus,* estque concubitus inter cognatos vel affines intra gradus, qui constituunt impedimentum matrimonii. Dicitur:

1. *Inter cognatos,* i. e. cognatos sive naturaliter (consanguineos) [3], sive spiritualiter [4], sive legaliter [5]; item inter affines [6].

---

[1]. 1. ad Cor. VII, 4.

[2]. Cfr. opusculum nostrum, « De forma promissionis et celebrationis matrimonii », ed. 5, p. 10-11.

[3]. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales. — In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur (can. 1076, § 1 et 2).

[4]. Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can. 768 (can. 1079). Can. autem 768 statuit: Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus.

[5]. Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere (can. 1080).

[6]. Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive (can. 1077, § 1).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

2. *Intra gradus qui constituunt impedimentum matrimonii,* sive solo iure ecclesiastico sive ipso quoque iure naturali. Scilicet, ut docet *S. Thomas,* « in commixtione personarum coniunctarum aliquid est quod est secundum se indecens et repugnans naturali rationi, sicut quod commixtio fiat inter parentes et filios, quorum est per se et immediata cognatio. Nam filii naturaliter honorem debent parentibus... Aliae vero personae quae non coniunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam. Sed variatur circa hoc decentia vel indecentia, secundum consuetudinem et legem humanam vel divinam, quia usus venereorum, qui ordinatur ad bonum commune, subiacet legi » (2. 2, q. 154, a. 9, ad 3).

Qui post dispensationem obtentam ad matrimonium ineundum, peccat cum cognato vel affine, satis probabiliter non committit incestum (S. Alf. III, 452).

II. Moralitas. 1. Incestus praeter peccatum *luxuriae,* quod ob **39** eamdem rationem ac fornicatio (n. 33) ac adulterium (n. 37) involvit, continet quoque peccatum contra *pietatem.* Incestus tamen inter cognatos spiritualiter *religioni* potius quam (vel aeque ac) pietati adversari videtur, quia Ecclesia videtur legem tulisse tam ex motivo reverentiae coniunctis debitae, quam ex reverentia debita sacramento (Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 10, ad 2; S. Alf. III, 450). Dixi: incestus continet peccatum contra *pietatem;* adversatur enim reverentiae ex pietate debitae, secundum haec *S. Thomae:* « Naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt... Manifestum est autem... quod in actibus venereis maxime consistit quaedam turpitudo honorificentiae contraria; unde de his homines verecundantur; et ideo incongruum est, quod talis commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem » (2. 2. q. 154, a. 9). Haec quoque *cognatis legaliter* applicari possunt, quia adoptans et adoptatus sunt instar parentis et filii, ideoque Ecclesia in lege ferenda eodem motivo mota censetur.

2. Incestus inter diverso modo coniunctos ita differunt:

a) Incestus inter cognatos naturaliter seu consanguineos, cognatos spiritualiter et cognatos legaliter *specie differunt.* Ratio est, quia dictae cognationes a radice omnino diversa proveniunt,

nimirum cognatio naturalis ex copula, spiritualis ex sacramento, legalis ex adoptione; hinc ipsae et consequenter ipsarum laesiones per incestum, moraliter diversae videntur. Accedit quoad incestum inter cognatos *spiritualiter,* quod iste etiam *religioni* adversari videtur.

b) Incestus inter affines, cognatos spiritualiter et cognatos legaliter, ob eandem ac sub a) expositam rationem, *specie differunt.*

c) Incestus inter consanguineos et affines probabilius non differunt specie. Ratio est « quia persona affinis coniungitur alicui propter personam consanguinitate coniunctam : et ideo quia unum est propter alterum, eiusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas » (S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 9, ad 2; S. Alf. III, 449; VI, 469).

3. Incestus inter lineas et gradus diversarum coniunctionum ita differunt:

a) Quoad *consanguinitatem,* incestus in primo gradu lineae rectae [1] videtur ab aliis specie differre. Incestus vero inter ceteros consanguineos videtur specie non differre. Ratio est, quia inter consanguineos in primo gradu lineae rectae ratio pietatis *per se,* inter ceteros autem solum *per participationem* (i. e. per relationem ad parentes) invenitur. Quod autem tale est *per se* videtur specie differre ab eo, quod tale est *per participationem.* Sed quae talia sunt per participationem non specie, sed solum gradu differre videntur (S. Alf. III, 448; VI, 469, 470; cfr. S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 9, ad 3). *S. Alfonsus* (VI, 470) et alii censent, peccatum quoque cum persona ascendente in linea recta specie differre a peccato cum descendente, ideoque docent, esse explicandum an pater peccarit cum filia, vel cum matre filius.

b) Quoad *affinitatem,* incestus in primo gradu lineae rectae (i. e. inter privignum et novercam interque socerum et nurum) — pariter ac incestus in primo gradu lineae rectae consanguinitatis — videtur specie ab aliis differre. « Ratio, quia debitum reverentiae, quod est motivum speciale prohibendi congressum parentum cum filiis, est etiam prohibendi copulam inter novercam et privignum, vel socerum et nurum ». Ita *S. Alfonsus* (VI, 469) et alii [2].

[1]. Idem multi asserunt de primo gradu lineae collateralis (cfr. S. Alf. III, 448; VI, 470).

[2]. SALMANTICENSES, tr. 26, c. 5, n. 31; LUGO, disp. 16, n. 316 et 319.

Quidquid theoretice admittitur, practice confessarius, ut poenitentis tranquillitati consulat, si fundate suspicatur, incestum patratum esse in primo gradu lineae rectae sive consanguinitatis sive affinitatis, de eo interroget; atque eadem ratione procedat, si sermo est de primo gradu lineae collateralis.

Coroll. Parochus, qui cum parochiana sua; item confessarius, qui cum poenitente peccat, non sunt rei incestus, quia deest cognatio spiritualis, quae est impedimentum matrimonii (cfr. can. 1079, coll. can. 768). Peccat tamen parochus contra iustitiam, quia ex officio, cui salarium annexum est, tenetur bono spirituali parochiani providere (S. Alf. III, 451).

§ 4. — *De sacrilegio carnali.*

I. **Notio.** *Sacrilegium carnale* est violatio personae, rei vel loci sacri per actum venereum (S. Alf. III, 454). Quaenam autem personae, res et loci sacra sint, e dicendis patebit. 40

II. **Divisio.** Sacrilegium carnale, pariter ac sacrilegium generatim sumptum, dividitur in *personale, locale* et *reale.* 41

III. **Moralitas.** Sacrilegium carnale praeter peccatum *luxuriae,* etiam peccatum *irreligiositatis* involvit. Ratio est, quia specialis turpitudo luxuriae valde repugnat sanctitati personae, loci et rei sacrae (cfr. S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 10, ad 3). 42

Coroll I. Sacrilegium carnale personale committit, qui propriam vel aliam personam per luxuriam violat.

Dixi *personam sacram;* iam vero persona certo evadit sacra per votum castitatis *publicum,* sive sollemne, sive simplex. Disputatur de voto castitatis *privato.* Alii [1] affirmant censentque, corpori peculiarem sanctitatem competere eo ipso quod per votum castitatis Deo dedicatur. Alii [2] negant, quia eorum sententia persona, ut evadat sacra, per publicam auctoritatem ad cultum divinum deputari debet. In hac sententia violatio voti publici et privati specie differunt, quia in priori habetur verum sacrilegium, in altera aliud peccatum contra religionem, ita

[1] Caietanus in 2. 2. q. 99, a. 1; Billuart, De temperantia, diss. 6, a. 8; Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 99, a. 3, ad 3; q. 154, a. 1, ad 3 et a. 10, ad ; In dist. 38, q. 1, a. 3, quaestione 2.

[2]. Vermeersch, De castitate, n. 314.

ut non sufficeret confiteri, se voto ligatum esse. Attamen sacrilegium carnale specie non differt prout commissum fuit a persona voto sollemni vel a persona voto simplici publico (puta religiosum votorum simplicium) ligata.

Dixi *per luxuriam;* porro propriam personam actus luxuriae tam interior quam exterior, aliam personam solus actus externus violat.

Hinc sacrilegium carnale personale perpetrat: 1° Persona sacra, quae peccat contra castitatem; 2° omnis persona, quae cum persona sacra luxuriam committit; si utraque sacra est, utraque duplicis sacrilegii rea est; 3° persona sacra, quae ex *affectu libidinis* alii personae ansam praebet peccandi contra castitatem; satis probabiliter secus dicendum, si ex alio motivo procedit. Ratio est, quia affectus *absolutus* libidinis sanctitati personae specialiter repugnat, non autem satis probabiliter affectus *secundum quid,* qualem involvit actus, quo persona sacra ex alio ac libidinis motivo alicui occasionem praebet laedendae castitatis (S. Alf. III, 457).

Qui *sacerdos simul et religiosus* est, duplici quidem titulo persona sacra dici potest; at illud non efficit, ut peccans contra castitatem duplex sacrilegium carnale personale committat (S. Alf. III, 455).

Coroll. II. Sacrilegium carnale locale committit, qui locum sacrum per luxuriam violat.

Dixi *locum sacrum;* huc autem quoad nostram materiam pertinent ecclesia et oratorium publicum, modo consecrata vel sollemniter benedicta sint (cfr. can. 1154 et 1191). Merito dubitatur de oratoriis semi-publicis et coemeteriis, quia priora non eadem ratione divino cultui deputantur (cfr. can. 1191, § 1; 1196, § 2), posteriora vero ad fidelium sepulturam tantum, non autem ad divinum cultum destinantur (cfr. can. 1154).

Dixi *per luxuriam;* qua voce hic intelligas peccatum luxuriae vel impudicitiae externum. Hinc sacrilegii carnalis localis reus est, qui in loco sacro perpetrat v. g. fornicationem, pollutionem etc. vel actum graviter peccaminosum impudicitiae, v. g. tactus valde inhonestos, colloquia obscoena etc. Dicta autem probabilius valent, etiamsi peccata occulte fiant, quia nihilo minus videntur graviter sanctitati loci repugnare. Idem plures docent de copula coniugali *illicita* (S. Alf. III, 458-462).

Peccata *interna* non violant loci sanctitatem, quamvis sacrilegii carnalis localis reus sit, qui desiderat opus carnale externum in loco sacro patrandum, vel de eiusmodo opere *ut in loco sacro patrato* delectatur (cfr. S. Alf. III, 43).

Coroll. III. Sacrilegium carnale reale perpetrat, qui abutitur re sacra ad peccatum turpe; ut si quis in confessione poenitentem ad turpia sollicitat. Idem dicendum de sacerdote, qui sacris vestibus ad celebrandum indutus, vel S. Eucharistiam gestans aut distribuens, vel-quod etiam laico applices — immediate post S. Eucharistiam receptam turpiter peccaret (S. Alf. III, 463; Hom. Ap. tr. 9, n. 23).

Nota. Circumstantia *temporis* tunc constituit sacrilegium carnale, cum actio turpis extraordinariam cum tempore repugnantiam habet, ut si quis in Parasceve spectacula obscoena exhiberet (cfr. S. Alf. III, 46).

§ 5. — *De stupro.*

I. **Notio.** *Stuprum* sumi potest sensu *lato* et *stricto*. Sensu lato **43**
sumptum definitur: Concubitus cum muliere-sive virgine sive deflorata — nullatenus vel non libere consentiente, v. g. cum resistente, dormiente, amente, ex fraude vel metu consentiente. Sensu stricto seu canonico acceptatum est: concubitus cum virgine nullatenus vel non libere consentiente (S. Alf. III, 443); nomine autem virginis hic intelligitur ea, quae signaculum virginitatis retinet, utut forte peccaverit.

II. **Moralitas.** Stuprum non solum *castitati* verum etiam *iusti-* **44**
tiae adversatur, quia involvit usum corporis contra liberam voluntatem eius, cui usus competit. Immo si mulier, quae ad copulam cogitur, *virgo* est, accedit alia iniustitia, eaque probabilius gravis; quae consistit in eo quod virgini aufertur signaculum virginale; quod quidem, utpote grave signum immunitatis a copula, v. g. in ordine ad statum suscipiendum in se gravis momenti esse videtur.

Prior iniustitia cessat, si mulier libere usum corporis concedat; quamvis enim in casu, utpote non coniugata, illicite agat, non agit tamen invalide, quia Deus unicuique concessit ius utendi corpore suo.

Disputatur, num *altera* quoque iniustitia cesset, si virgo in sui defloratione consentiat. Porro *S. Alfonsus* (III, 443) cum aliis merito contra plures affirmat, quia, ut diximus, Deus unicuique concessit ius in usum corporis, ita ut virgo concedendo usum illicite quidem, at non invalide agat. Atqui ad usum corporis virginei pertinet laesio signaculi virginalis. Ergo eam valide concedere potest. Hinc copula cum virgine consentiente omni iniustia caret meraeque fornicationi aequiperatur; attamen « potest esse aliunde speciale peccatum, scilicet ratione infamiae, vel moeroris parentum, vel rixarum, odii, etc » (S. Alf. III, l. c.).

Nota 1. Stuprum, si reservatum est, item stuprum poenae ecclesiasticae obnoxium, intelliguntur stuprum stricto sensu acceptum, nisi aliud expresse significetur.

Nota 2. Puella vi oppressa tenetur positive resistere oppressori, et solum ob periculum mortis aliusve damni isti aequiperandi licet ei sese passive habere, modo tamen periculum consensus dimoveatur; quod periculum consensus cum in casu facile adesse possit, suadendum, ut virgo potius sinat se occidi quam violari (S. Alf. III, 368). Pariter « mulier vi oppressa... potest (immo debet) se vertere et coitum interrumpere, quamvis semen viri esset effundendum; quia hoc per accidens et ob solam malitiam viri eveniret » (S. Alf. VI, 954, dub. 1).

Nota 3. Disputatur, num feminae vi oppressae liceat semen virile receptum expellere. Cum *S. Alfonso* (l. c.) et aliis negandum opinamur. Cum enim semen qua tale sit ob solum bonum speciei, bonum autem speciei nulli bono creato sed soli Deo subordinetur, omnis dispositio circa semen qua tale, quae bonum speciei directe impedit, intrinsece mala est. Atqui femina oppressa, de qua dicimus, semen ut tale expellit eaque expulsione bonum speciei directe impedit. Ergo expulsio intrinsece mala est. Accedit quod, hac argumentatione reiecta, non perspicitur, qua ratione comprobari possit, istam agendi rationem, de qua n. 108-109 sermo est, nimirum constrictionem oris uteri intrinsece malam esse.

§ 6. — *De raptu*[1].

45 I. **Notio.** *Raptus* prout hic sumitur est abductio violenta cuiusvis personae, libidinis explendae causa (S. Alf. III, 444). Dicitur:

[1]. Quamvis raptus — ut ex dicendis patebit — conceptu suo luxuriam consummatam non involvat, tamen hoc loco de eo dici solet.

1. *Abductio;* cui sub respectu morali par est detentio in loco ubi persona commoratur.

2. *Violentia.* Violentia autem potest esse physica vel moralis, atque inferri aut abductae, aut iis, quorum potestati subest vel custodiae commissa est, aut utrique parti. Hinc si quae maiorennis sponte discedat v. g. cum amasio, insciis parentibus, non erit proprie raptus sed fuga (S. Alf. III, 444): secus si minorennis est (cfr. can. 2353).

3. *Cuiusvis personae,* sive maris sive feminae sive nuptae sive innuptae sive virginis sive corruptae (S. Alf. l. c.).

4. *Libidinis explendae causa,* sive per copulam sive per alium actum turpem. Habetur raptus, etiamsi copula aliudve opus turpe non sequatur; item etiamsi persona abducta postea peccato luxuriae consentiat. Non habetur vero raptus prout hic sumitur, i. e. peccatum luxuriae, si persona alius finis, v. g. matrimonii valide ineundi causa, abducitur.

II. **Moralitas.** Ex dictis sequitur, raptum praeterquam *castitati* etiam *iustitiae* adversari, respectu sive personae abductae, sive, si sit minorennis, eorum quibus subest, sive utrorumque (S. Alf. III, 444). Si minorennis in sui abductionem consentiat, persistit iniuria respectu eorum, quorum curae subest. **46**

III. **Poenae.** 1. Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur (can. 2353).[1] **47**

2. Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum... raptus impuberum alterutrius sexus... ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate poenae plectatur (can. 2354, § 1). Clericus ex eiusdem canonis § 2 pro culpae gravitate variis poenis puniendus est.

Nota generalis 1. Patet plures e peccatorum speciebus expositis in uno etiam actu posse concurrere, ut si quis copulam habeat cum consanguinea coniugata.

---

[1]. Quando constituat impedimentum dirimens matrimonii, in tractatu de illo sacramento exponitur .

Nota generalis 2. Quatenus actus impudicitiae et luxuriae non consummatae species peccatorum, luxuria consummata contentas et supra expositas, contrahant, infra dicemus.

Caput III.

De luxuria consummata innaturali.

48 I. Luxuria consummata innaturalis est: Actus venereus completus, qui ad generationem ineptus est. Porro ut actus de se aptus sit ad generationem, requiruntur: 1° Unio carnalis *duorum;* 2° unio duorum *eiusdem speciei;* 3° unio duorum *diversi sexus;* 4° unio in diversi sexus *vase debito.* Hinc quatuor species luxuriae contra naturam, nimirum: *pollutio,* quae unionem *duorum, bestialitas,* quae unionem duorum *eiusdem speciei, sodomia,* quae unionem duorum *diversi sexus,* denique concubitus, qui unionem in *diversi sexus vase debito* excludit (S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 11; S. Alf. III, 412).

II. Peccata enumerata *specie differunt,* quia modis moraliter diversis rectae seminationi repugnant (S. Alf. III, 464). Accedit prop. 24 damnata ab Alexandro VII: Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

III. Quoad *gravitatem relativam* dictorum peccatorum accipe haec *S. Thomae:* « Gravitas in peccato magis attenditur ex abusu alicuius rei, quam ex omissione debiti usus; et ideo inter vitia, quae sunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiae, quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum (*pollutio*); gravissimum autem est peccatum *bestialitatis,* quia non servatur debita species: unde super illud Gen. 37: Accusavit fratres suos de crimine pessimo, dicit Gloss. (interlin.), quod cum pecoribus miscebantur; post hoc autem est *vitium sodomiticum,* cum ibi non servatur debitus sexus; post hoc autem est peccatum ex eo, quod non servatur debitus modus concumbendi; magis autem si non sit *debitum vas,* quam si sit inordinatio secundum aliqua alia pertinentia ad modum concubitus » (2. 2. q. 154, a. 12, ad 4).

Quibus generatim notatis, de singulis peccatis innaturalibus speciatim dicemus.

ARTICULUS I.

De pollutione [1].

I. **Notio.** *Pollutio,* mollities, masturbatio est actus venereus **49** completus extra concubitum, tam naturalem seu copulam, quam innaturalem seu sodomiam et bestialitatem (S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 11; S. Alf. III, 465). Porro supra (p. 6) explicatum est, in quonam consistat actus venereus completus tam apud viros quam apud feminas.

II. **Moralitas.** Primum notes propositionem 49, quae ab Inno- **50** centio XI saltem tanquam scandalosa atque in praxi periculosa damnata est: « Mollities iure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ». Quibus notatis, haec accipe:

1. *Pollutio tam viri quam feminae peccatum est.* Patet tam ex S. Scriptura (n. 27) quam ex eo quod dictae pollutiones involvunt usum seminis vel quasi-seminis, qui caret ordinatione ad finem naturalem seminis vel quasi seminis, i. e. ad bonum speciei. Eiusmodi autem usus seminis peccatum est (n. 27).

Porro disputant auctores, in quonam praecipue sita sit malitia pollutionis. Secundum ESCHBACH [2], NOLDIN [3] et plures recentiores maxime reponenda est in *delectatione venerea satiativa.* At haec sententia reicienda videtur. Etenim delectatio secundum se mala non est, sed solum ratione sive finis (p. 90), de quo hic sermo non est, sive operis, de quo vel in quo quis delectatur, ita ut ad malitiam ipsius operis necessario deveniendum sit. Hinc malitia pollutionis primarie ac praecipue reponenda in ipsa operis deordinatione [4], i. e. in eo quod involvit actum venereum (completum), qui non ordinatur ad bonum speciei (cfr. S. Thomas, De malo qu. 15, a. 1, c. et a. 2, c.).

2. *Pollutio tam viri quam feminae grave peccatum est.* Patet iterum ex S. Scriptura (n. 27). *Deinde* eruitur quoad pollutionem viri ex eo quod ista involvit usum seminis, qui nec aptus est ad generandum, nec ordinatur ad generandi educationem; quae privationes graves sunt (n. 28). Quoad pollutionem feminae deducitur ex eo quod habetur usus quasi-seminis, qui — ut taceam

---

[1]. Cfr. VAN ROEY, Quaestio specialis de Sexto decalogi praecepto.
[2]. Disput. physiol. — theol.[2], p. 548.
[3]. De sexto praecepto[17], n. 29.
[4]. Atque haec valent de omni peccato luxuriae.

de defectu ordinationis ad generationem (n. 28). — non ordinatur ad educationem, quae ordinatio omni etiam quasi-seminis usui inesse debet, cuiusque privatio gravis est (n. 28). Hinc *S. Thomas:* Ex uno concubitu potest unus homo generari: et ideo inordinatio concubitus, quae impedit bonum prolis nasciturae, ex ipso genere actus est peccatum mortale » (2. 2. q. 154, a. 2, ad 6). Dicit autem S. Doctor de fornicatione ideoque de inordinatione oriunda ex eo quod deest ordinatio ad educationem; ordinatio quippe ad generationem in fornicatione subsistit.

Nota 1. Disputatur, num pollutiones viri et feminae *specie* differant; a. v. num deordinatio, quam pollutioni viri et feminae inesse diximus, moraliter et non solum physice diversa sit; quod difficile determinatur [1].

Nota 2. Secundum aliquos [2] actus venereus completus feminae, cui accedit fluxus humoris vaginalis, specifice differt a commotione venerea completa, quae sine eiusmodi profusione contingit. Sed dicta humoris profusio vel ad commotionem completam necessario requiritur vel non est nisi complementum commotionis completae, ideoque ab ea non differt.

Nota 3. Quaeritur, num actus venereus senum, eunuchorum et puerorum ad terminum usque perductus, sit eiusdem speciei ac pollutio adulti. Porro quoad senes satis communiter affirmatur, atque omnino affirmandum videtur, quia senes vero semine — utut infecundo — gaudent, ideoque in eis habetur seminis emissio. Quoad eunuchos et pueros, qui vero semine carent, alii negant [3], maxime quia seminis emissio ideoque vera pollutio deest. Alii affirmant hac praesertim ratione innixi, quod actio et intentio agentis magis constituunt speciem quam materialis effectus. Iam vero actus et intentio agentis de se sufficiunt ad pollutionem producendam. Huic sententiae adhaerent *S. Alfonsus* (III, 476), Van Roey [4], Waffelaert [5].

3. *Pollutioni alia malitia accedere potest, scilicet ex obiecto cogitato, ex circumstantiis subiecti, non autem e modo quo excitatur pollutio.* Dixi :

a) *Ex obiecto cogitato,* ut si quis seipsum polluendo concupiscit copulam cum soluta, consanguinea etc. (S. Alf. III, 476).

b) *Ex circumstantiis subiecti* seu peccantis. Ita si coniugatus se polluat, accedit species adulterii; si persona sacra, species sacrilegii carnalis, etc (S. Alf. l. c.).

---

[1]. Cfr. Waffelaert, De virtutibus cardinalibus, n. 167.
[2]. Cfr. Bucceroni, Instit. Theol. Mor.[4] I, n. 813.
[3]. Antonelli, Medicina pastoralis, I, n. 475; Vermeersch, De castitate et de vitiis contrariis, n. 328, et alii.
[4]. Quaestio specialis de Sexto decalogi praecepto, p. 20.
[5]. De virtutibus cardinalibus, n. 162.

c) *Ex circumstantiis obiecti,* i. e. personae, quam tangendo (manu vel corpore), osculando, amplexando quis se polluit; ut si tangat coniugatam, consanguineam, etc., quo casu denuo habetur species adulterii, incestus, etc (S. Alf. III, 467, 476). Haec tamen de actu *aspiciendi* non valent, nisi affectus libidinis determinatus sit in personam v. g. coniugatam, *qua talem.* Ratio discriminis est, quia tactus, oscula, et amplexus, utpote qui in concreto et materialiter talem personam attingant, nequeunt abstrahere a circumstantia personae inhaerenti; aspectus vero, qui minus materiales sunt, a persona qua tali passim abstrahunt (S. Alf. III, 421).

Quaest., num pollutioni accedat alia malitia ex *sexu* vel *specie,* quam manu vel corpore tangendo quis sese polluat, a. v. num pollutio provocata tangendo manu personam diversi vel eiusdem sexus vel bestiam, annexam habeat malitiam fornicationis, sodomiae vel bestialitatis.

Resp. Satis probabiliter a *S. Alfonso* negatur, *si sola pollutio intendatur.* Verum quidem est, actus incompletos per se induere speciem actus in eadem specie completi, quia natura sua ad illum ordinantur. Ita v. g. tactus feminae per se induit speciem fornicationis (S. Alf. III, 416, 2°; Hom. Apost. tr. 9. n. 3). At non patet, idem contingere, si actus incompletus ab ipso agente ad actum in alia specie completum referatur, puta si tactus feminae a tangente referatur ad pollutionem (S. Alf. III, 467; Hom. Apost. tr. 9. n. 25).

Idem stricte loquendo obtinere posse videtur, si coniunctio corporum (extra vas) interveniat; verum tunc, regulariter loquendo, habebitur affectus ad veram commixtionem, i. e. ad actum in eadem specie completum. Hinc si v. g. masculus incumbat in corpus feminae, vix aberit malitia fornicationis (S. Alf. locis citatis, coll. III, 466, Infertur 2°).

d) *Non autem e modo, quo obiectum attingitur.* Hinc perinde est, utrum quis propria manu, an instrumento, an aspectu obiectum attingat atque pollutionem provocet. Item, si de coniunctione corporali cum femina agitur, non refert, utrum quis intra manus, an inter ubera, an inter femora eius sese polluat. Ratio est, quia ea materialiter se habent ad pollutionem, de qua agitur, nec sunt mala nisi per ordinem ad illam, ideoque speciem non mutant. Excipitur a pluribus pollutio in *ore* alius, quae dici solet *irrumatio,* de qua vide n. 57.

Nota 1. Si poenitens se accusat de tactibus impudicis, ita 51
procedi posse videtur:

I. Si provectioris aetatis est vel adolescens 18-19 annorum aut puella 19-20 annorum, pollutio praesumi potest atque ipsa accusatione tactuum impudicorum satis manifestatur: hinc non est obligatio de pollutione secuta interrogandi.

II. Si pollutio praesumi nequit, seu potius in dubio, num secuta sit, ita agatur:

1. Si ex adiunctis confessario constat, pollutionem poenitenti notam esse, de ea interroget.

2. Si illud confessario dubium est, non interroget, quia praestat, deesse integritatem materialem confessionis, quam poenitentem addiscere, quae hactenus ignoraverit, vel desiderium ea addiscendi ab ipso concipi, vel confessarium suspicioni et Sacramentum odio exponi (Cfr. can. 868, § 2; S. Alf. Praxis n. 90). Hinc pueri et puellae impuberes de pollutione non interrogentur; idem applicetur puberibus primis post pubertatem annis, nisi appareant corrupti.

III. Casu, quo interrogatio facienda videtur, feminae et puellae non interrogentur, num adfuerit seminis vel humoris effusio, sed an libidini seu naturae plene satisfecerint, vel an vehementem satisfactionem habuerint, vel an valde excitatae fuerint; masculi vero, qui in hac materia instructi apparent, interrogari possunt, an naturam effuderint.

Nota 2. Qui copulam *onanistice* peragit (n. 108), *pollutionis* reus est. Huius itaque malitia accedit peccato, quod copula fornicaria, adulterina, incestuosa, sacrilega iam ex se continet.

Quodsi quaeratur, num liceat cum praevisione effusionis seminis extra vas copulam illicitam, v. g. fornicariam *abrumpere;* resp.: *Affirm.* immo obligatio est ita faciendi i. e. desistendi a peccato. Attamen non liceret abrumpere eo fine, ut proles evitetur, sistendo in eo; bene vero eo fine, ut proles evitetur, cuius educationi non est per se provisum.

ARTICULUS II.

De sodomia.

52 I. **Notio.** *Sodomia* est concubitus cum persona eiusdem sexus (S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 12, ad 4; S. Alf. III, 466)[1]. Vocatur etiam *sodomia proprie dicta,* ut distinguatur a concubitu innaturali cum persona diversi sexus, qui dici solet *sodomia impro-*

[1]. Qui maxime in personas eiusdem sexus affectu feruntur, dicuntur *homosexuales.*

prie dicta (n. 57). Si sodomia cum pueris committitur, vocatur *paederastia.*

Porro essentia et malitia huius speciei luxuriae videtur consistere in congressu seu in commixtione venerea cum individuo eiusdem quidem speciei, at sexus, quocum actus generandi institui nequit. Hinc ad sodomiam requiruntur praeter personas eiusdem sexus: 1° actus positus per modum concubitus; 2° actus positus, mediante membro genitali, a parte agentis; 3° membri genitalis immissio in vas alterius. Dicitur:

1. *Actus positus per modum concubitus;* hinc non habetur sodomia (in effectu), si quis manu tangat, utut cum effusione seminis, pudenda alterius.

2. Actus positus, *mediante membro genitali,* quia secus non habetur commixtio *venerea.*

3. *Membri genitalis immissio in vas alterius,* quia secus deest vera commixtio. Requiritur igitur, ut aut mas immittat membrum virile in vas praeposterum vel — addunt alii — in os alius maris; aut ut femina immittat vulvam in vulvam vel in vas praeposterum vel — addunt alii — in os alius feminae.

Dixi: *vel* — addunt alii — *in os alius maris,* et: *in os alius feminae.* Dicti actus scilicet videntur dicendi *sodomia proprie dicta,* quia hic etiam habetur commixtio venerea cum persona eiusdem sexus (S. Alf. III, 466; Hom. ap. tr. 9, n. 25). Attamen congressus cum persona eiusdem sexus in vase praepostero et in ore specie non differunt, quia utriusque malitia consistit in commixtione venerea cum persona eiusdem sexus in vase *indebito.*

Coroll. I. Sodomia inter feminas attentari quidem, non autem, si structura genitalium normalis est, actu exerceri potest. Quando feminae, quod quandoque contingere videtur, vulvam ad vulvam vel ad vas praeposterum alius feminae applicant, habetur utique affectus ad sodomiam, sed vera sodomia videtur non adesse; siquidem non perspicitur, cur, admissa inter mares necessitate congressus *in* vase, inter feminas concubitus *ad* vas sufficeret. Quod congressus *in* vase inter eas locum habere nequit, id potius probat sodomiam ipsis, nisi clitoris anormaliter evoluta sit, impossibilem esse, quam congressum in vase non requiri.

Coroll. II. Concubitus viri cum viro, qui locum non habuit neque in vase praepostero, neque in ore, sed in alia corporis parte, non est sodomia, sed pollutio in effectu; attamen regulariter loquendo affectum sodomiae annexum habebit (S. Alf. III, 466).

Coroll. III. Communiter dicunt, veram sodomiam haberi, sive *intra* sive *extra* vas seminatio contingat, ita ut opus non sit illud indicare (S. Alf. l. c.).

53 II. **Moralitas.** 1.Sodomia intrinsece et graviter mala est, quin etiam post bestialitatem gravissimum luxuriae peccatum. *Intrinsece mala* est, quia involvit usum seminis vel quasi-seminis, qui non ordinatur ad bonum speciei (n. 28). *Graviter mala* est, quia aeque ac pollutio continet, si de viro sermo est, usum seminis, qui nec aptus est ad generandum, nec ordinatur ad generandi educationem; si de femina agitur, involvit usum quasi-seminis, qui non ordinatur ad educationem (n. 28). Denique *gravissimum* peccatum est, uti patet ex testimoniis S. Scripturae: « Homines autem Sodomitae pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis »[1]. — « Cum masculo non commiscearis coitu foemineo, quia abominatio est »[2]. — « Tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Nam foeminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu foeminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes[3] ». Patet praeterea ex ipsa notione sodomiae tradita, quae in usu venereorum non solum organum sed etiam sexum debitum excludit.

2. Peccata *agentis* et *patientis* non differunt specie. Cum vero circumstantia seminationis innotescere debeat, eaque ex parte agentis praesumi possit, non ita certo ex parte patientis, interrogetur poenitens, utrum agens an patiens fuerit, nisi mavis directe inquirere vel aliunde satis pateat, utrum necne seminatio locum habuerit (S. Alf. III, 468).

3. Sodomia patrata cum *cognata* vel *affine,* aeque ac copula recta cum eis habita, etiam *incestus* induit malitiam; patrata cum *coniugata,* etiam adulterii reatum continet.

---

[1]. Genes. XIII, 13.
[2]. Levit. XVIII, 22.
[3]. Rom. I, 26, 27.

III. **Poenae.** 1. Laici et clerici in minoribus ordinibus consti- 54
tuti, legitime damnati ob... sodomiam... ipso facto infames sunt, praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit (can. 2357, § 1; can. 2358).

2. Clerici in sacris, sive saeculares sive religiosi, si admiserint sodomiam, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur (can. 2359, § 2).

Observes autem, ubi in Codice de poenis contra sodomiam sermo sit, intelligi sodomiam patratam inter mares, in vase praepostero cum seminatione ibidem facta. Eodem sensu sumatur sodomia, si alicubi reservata sit.

Nota. Sodomia saepius committitur in civitatibus quam in pagis, maxime ratione cubationis in eodem lecto. Si quis interrogandus videatur — puta si vir confiteatur, se cum viro, vel foemina, se cum foemina peccasse, atque prudentem suspicionem sodomiae ingerat — inquirendum, num concubitus vel corporum coniunctio locum habuerit. Inquisitio autem hac ratione institui potest: An tactus mutuos exercuerint? Si affirmetur, an manu vel corpore? Si corpore, an corpora coniunxerint[1]?

ARTICULUS III.

De bestialitate.

I. **Notio.** *Bestialitas* est concubitus cum bestia (S. Thom. 2. 55
2. q. 154, a. 12, ad 4; S. Alf. III, 474). Iam vero essentia et malitia huius peccati consistere videtur in commixtione venerea cum individuo speciei, quacum actus generandi institui nequit. Hinc ad bestialitatem — aeque et ob easdem rationes ac ad sodomiam (n. 52) — requiruntur: 1° actus positus per modum concubitus; 2° actus positus, mediante membro genitali, a parte agentis; 3° membri genitalis immissio in aliquod vas bestiae, i. e. in vas naturale vel in aliud. Ceterum non refert, cuiusnam speciei vel cuiusnam sexus fuerit bestia, « quia tota essentialis de formitas huius facinoris consistit in accessu ad diversam speciem » (S. Alf. III, 474).

Coroll. I. Non habetur bestialitas, si quis manu impudice tangit

---

[1]. AERTNYS, Theol. past.[6], n. 38.

bestiam vel v. g. linguam bestiae in propriis pudendis admittit. Praeterea concubitus cum bestia, qui in aliquo vase locum non habuit, non est bestialitas in actu, quamvis facile affectum ad bestialitatem annexum habeat.

Coroll. II. Si bestialitas alicubi reservata est, intelligitur congressus in vase bestiae naturali, cum effusione seminis ibidem facta.

56 II. **Moralitas.** Bestialitas — aeque et ob easdem rationes ac pollutio et sodomia (n. 5) — *intrinsece* et *graviter mala* est; quin etiam *gravissimum* luxuriae peccatum, quia per eam homo cum diversa *specie* veneree commiscetur. Adde haec S. Scripturae: « Qui cum iumento et pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite. — Mulier quae succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cum eo; sanguis eorum sit super eos » [1].

Nota. Bestialitas rarius committitur in civitatibus quam in pagis, a rusticis, stabulariis aliisque qui multum cum bestiis versantur; rarius a feminis quam a viris. Si quis interrogandus videatur, rogari potest, an praesentia animalium ipsi fuerit occasio peccandi. Si confessarius ex responso animadvertat, poenitentem immunem esse ab hoc peccato illudque forsan ignorare, det operam ut illius peccati ideam praecludat, rogando e. g. annon saevierit in animalia [2]

ARTICULUS IV.

De concubitu innaturali cum persona diversi sexus.

57 I. **Notio.** *Concubitus innaturalis* hic intelligitur concubitus viri cum femina in vase praepostero vel — ut alii addunt — in ore. Nimirum malitia huius peccati consistit in commixtione cum persona, quacum quis prolem procreare potest, sed cui hic et nunc ita commiscetur, ut proles procreari nequeat. Dicitur *in commixtione;* hinc requiritur congressus *in* vase. Dicitur *cui ita commiscetur, ut proles procreari nequeat;* hinc requiritur congressus in vase *indebito,* i. e. in ano. Disputatur de congressu in *ore,* qui secundum *alios* est pollutio, cui accedit affectus for-

---

[1]. Levit. XX, 15-16; cfr. Exod. XXII, 19.
[2]. AERTNYS, Theol. past.°, n. 38.

nicationis; secundum alios vero aequiperatur coitui cum femina in vase praepostero, quia hic pariter videtur haberi *commixtio* cum persona diversi sexus (S. Alf. VI, 935)[1]. Concubitus cum femina in vase praepostero saepius dicitur *sodomia improprie dicta seu imperfecta;* concubitus in ore vocatur *irrumatio.* Porro sodomia imperfecta et irrumatio specie non differunt, quia utriusque malitia consistit in commixtione cum persona diversi sexus in vase *indebito.*

Nota. Concubitus in alia — praeter vas praeposterum et os — corporis parte est pollutio cum fornicationis affectu; non refert, in quanam parte locum habeat.

II. **Moralitas.** 1. Concubitus innaturalis, de quo dicimus — 58
aeque et ob easdem rationes ac pollutio, sodomia et bestialitas — intrinsece et graviter malus est.

S. Poenit. 3 april 1916 respondit: « Si maritus committere cum ea velit Sodomitarum crimen, cum hic Sodomiticus coitus actus sit contra naturam ex parte utriusque coniugis sic coeuntis, isque doctorum omnium iudicio graviter malus: hinc nulla plane de causa, ne mortis quidem vitandae, licite potest uxor hac in re impudico suo marito morem gerere. Miraturque vehementer S. Poenitentiaria, quod opposita sententia, cum humanae naturae dedecore in quorundam sacerdotum animis (ut refertur) insistere potuerit ».

2. Peccata *agentis* et *patientis* non differunt specie. Circumstantia tamen seminationis, si locum habuerit, innotescere debet, ideoque servanda sunt n. 53 sub 2 exposita.

3. Concubitus innaturalis patratus cum *cognata* vel *affine,* aeque ac copula recta cum eis habita, *incestus* induit malitiam; item *adulterii,* si cum *coniugata* patratur.

Nota. In concubitum innaturalem cum persona diversi sexus non inquiratur; nam si poenitens de eo tacet, praesumatur locum non habuisse. Ad haec si concubitus extra anum et os habitus fuerit, poenitens non interrogetur, in quanam corporis parte contigerit, quia, uti notavimus, istius rei non refert.

---

[1]. Cfr. tamen S. Alf. III, 466 et Hom. Ap. tr. 9, n. 25.

Scholion I.

De aliquibus aliis modis concumbendi.

59 I. *Concubitus cum femina mortua* (necrophilia) videtur esse pollutio in actu, accedente affectu ad fornicationem (S. Afl. III, 466). Idem dicendum de concubitu cum statua vel pictura exhibente feminam.

60 II. *Concubitus cum daemone* reducitur ad bestialitatem, quia est cum specie diversa et vivente. Accedit autem peccatum *superstitionis* ob commercium cum daemone, item affectus ad fornicationem vel ad sodomiam prout daemon sese exhibet sub forma personae diversi vel eiusdem sexus ac concumbens. Quod autem daemon sese exhibet sub forma coniugatae, monialis, consanguineae non efficit, ut adsit quoque affectus ad adulterium, sacrilegium aut incestum: nam a muliere *ut coniugata* etc. delectatio et affectus passim abstrahent (S. Alf. III, 475).

Scholion II.

De poenis canonicis contra luxuriosos.

61 Quae ab Ecclesia contra reos concubinatus, raptus et sodomiae statuta sint, suo loco inseruimus. Integritatis vero causa integrum poenarum decretarum conspectum exhibere lubet.

Can. 2353: Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur.

Can. 2354, § 1: Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum... raptus impuberum alterius sexus... ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna. — Clericus vero ex eiusdem canonis § 2 pro culpae gravitate variis poenis puniendus est.

Can. 2356: Bigami, idest qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames; et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito

contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur.

Can. 2357: Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit (§ 1). — Qui publicum adulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant, vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint (§ 2).

Can. 2358: Clerici in minoribus ordinibus constituti, rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadent, praeter poenas de quibus in can. 2357, si his locus sit.

Can. 2359: Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum oficii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181 (§ 1); canones 2176-2181 agunt de modo procedendi contra concubinarios. — Si (clerici in sacris) delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu excercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur (§ 2). — Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant (§ 3).

Caput IV.

De luxuria non consummata.

62 I. **Notio.** *Luxuria non consummata* est usus venereorum inordinatus, qui non pertingit ad actum completum. Eiusmodi sunt: In viro motus organorum genitalium effusioni praevius; item distillatio, quae coniungitur cum commotione venerea; in femina commotio venerea non extrema (n. 10). Huc etiam pertinent actus v. g. tactus, aspectus *quatenus ponuntur cum commotione venerea,* sive quaesita sive voluntarie admissa.

63 II. **Moralitas.** 1. *Luxuria non consummata intrinsece mala est,* quia involvit usum venereorum, qui non ordinatur ad finem naturalem venereorum i. e. ad bonum speciei (n. 27).

2. *Luxuria non consummata in se graviter mala est.* Probatur *primum* auctoritate. S. Officium ad quaesitum, num detur parvitas materiae in delicto sollicitationis, die 11 Februarii 1661 respondit: « *Neg.,* quia in rebus venereis non datur parvitas materiae, et si daretur, in re praesenti non datur ». Dein Clemens VIII et Paulus V iusserunt, illos denuntiari Inquisitoribus fidei, qui asserunt, osculum, amplexus, tactus ob delectationem habita non esse mortalia. Adde prop. 40 ab Alexandro VII damnatam: « Est probabilis opinio quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensualem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis ». Porro spectato huius propositionis sensu obvio, saltem quaedam commotio venerea ratione sui pro gravi habenda est. Si autem illud de aliqua commotione admiseris, aegre perspicitur, cur de aliis affirmari non debeat. Omnes enim commotiones venereae tantum ut magis et minus differre videntur, ita ut, si aliqua ex eis ratione sui graviter mala sit, id de omnibus dici debeat.

Obi. Propositio potuit esse damnata, quia omnis delectatio venerea voluntarie quaesita vel admissa periculum proximum consensus ulterioris et pollutionis secum fert. « Adverte, inquit Billuart, illam propositionem peccare, non quia dicit tale osculum esse veniale, si secludatur periculum, sed quia, inquit Steyart, ad tegendam turpitudinem suam, supponit id, quod est impossibile aut certe metaphysicae rari-

tatis, nimirum posse in tali casu secludi periculum ulterioris consensus »[1].

Resp. Nego assertum, tum quia ista explicatio sensui obvio nullatenus congruit, tum quia aegre admittitur, *omni* commotioni venereae voluntariae annexum esse periculum proximum ulterioris consensus et pollutionis. Quis illud v. g. de coniugatis dixerit.

Dein propositio probatur ex eo quod actus non consummatus non est — id quod esse debet — proxima et naturalis praeparatio et via ad actum consummatum legitimum, sed potius proxima et naturalis praeparatio et via ad actum consummatum illegitimum; quae gravia sunt (S. Alf. III, 415; n. 28).

Denique actus non consummatus passim graviter quoque peccaminosus est ratione periculi pollutionis. Quocirca maxime quoad non coniugatos valent haec BILLUART: « Cum enim natura ex sua corruptione sit maxime fragilis in hac materia, atque tota proclivis in has delectationes, et insuper haec indocilis passio, semel voluntarie admissa mentem excaecet et tanta vi voluntatem rapiat, ut illi figere terminos sit difficillimum, ne dicam impossibile, vix aut ne vix fieri potest quod quis directe consentiat delectationi carnali in se, quin sit periculum proximum in aliquid ulterius et turpius consentiendi. Atqui id quod de se foret veniale, fit mortale ratione periculi proximi incidendi in mortale »[2].

Quoad sententiam *S. Thomae* conferri possunt 1. 2. q. 74, a. 8; 2. 2. q. 154, a. 4; Q. D. de verit XV, a. 4; Q. D. de Malo, XV, a. 2, ad 18.

Coroll. I. Etiam *sponsis* actus venereus incompletus seu com- 64
motio venerea non solum ratione periculi pollutionis, verum etiam *in se graviter* illicita est. Eam ipsis per se solum *leviter* illicitam esse, pauci docent, inter quos CAIETANUS[3] et SANCHEZ[4]. At haec sententia omnino reicienda est, cum ratio cui innititur, omni valore destituta sit. « Sponsalia, inquiunt, sunt inchoatio matrimonii; ergo conferunt ius ad actum venereum incompletum ». Ad quae *resp.:* 1° Sponsalia sunt inchoatio matrimonii eo sensu, quod conferunt ius ineundi matrimonii cum persona

---

[1]. De temperantia, diss. 5, art. 2.
[2]. De temperantia, dissert. 5, a. 2.
[3]. In 2. 2. q. 154, a. 4.
[4]. De Matrim. l. IX, disp. 46, n. 48 et 55.

desponsata seu recipiendi ius in usum corporis desponsatae. Atqui ius recipiendi aliquando ius in usum corporis nullatenus secum fert ius iam hic et nunc — utut initialiter ut dicunt — utendi corpore (S. Alf. VI, 854). 2° Argumentum si valeret, nimis probaret, scilicet sponsalia efficere, ut actus non consummatus *licitus* evadat, sicut matrimonium efficit, ut actus consummatus licitus fiat.

Dicta non impediunt, quominus tactus, aspectus et oscula non impudica sponsis licita sint, etiam si forte commotio quaedam ex eis sequatur, modo neque eam intendant, neque in eam consentiant, neque grave periculum in eam consentiendi habeatur. Nimirum amor sponsalitius fovendus est ratio sufficiens effectum malum, de quo agitur, permittendi; quae quidem ratio aliis non similiter prostat.

Coroll. II. Qui, commotione venerea (praeter intentionem) exorta, *non positive* (directe vel indirecte)[1] *dissentit, sed mere passive se habet,* graviter peccat, saltem si commotio est gravior. Ratio est, quia, spectata vehementia delectationis, gravi periculo consentiendi se exponit. Attamen resistentia indirecta haud ita raro resistentiae directae praeferenda est, praesertim si motus leviores, diuturniores vel frequentiores sunt (Cfr. S. Alf. V, 7, 8).

Coroll. III; quod corollarium respicit delectationem sensibilem carnalem (n. 11), de qua ob connexionem materiae quaedam adiungere practicum duco. Porro qui quaerit vel consentit in delectationem *sensibilem carnalem,* ponit actum, qui in se indifferens est. Si vero eiusmodi delectatio directe et plene deliberate quaeratur vel admittatur, maxime a personis ad copulam aptis, et maxime si actus isti habeantur cum aliquo affectu et cum mora, secundum *S. Alfonsum* regulariter (i. e. ut plurimum) grave committitur peccatum, ob periculum proximum incidendi et consentiendi in commotionem veneream (III, 416)[2].

Scholion.

De luxuria indirecte voluntaria.

65 I. **Notio.** Luxuria *indirecte voluntaria* seu voluntaria in causa

[1]. *Directe,* puta impugnando motum per actum displicentiae; *indirecte,* v. g. orando, de aliis cogitando, opus inceptum continuando.

[2]. Plures auctores sententiam *S. Alfonsi* minus accurate referunt.

intelligitur effectus venereus (pollutio vel commotio venerea), qui non intenditur, sed ex actione secuturus praevidetur et praecaveri debet. Dicitur:

1. *Qui non intenditur;* quod si intendatur effectus venereus, hic directe voluntarius est.

2. *Ex actione secuturus praevidetur.* Effectus venereus, qui non sequitur *ex actione,* sed ex *sola natura* profluit, *mere naturalis* est et dicitur, ut si pollutio diurna vel nocturna[1] oritur ex superabundantia seminis, ex temperamento, ex nervorum debilitate, ex naturali corporis calore, vel etiam ex actione daemonis (2. 2. q. 154, a. 5; 3 p. q. 80, a. 7; S. Alf. III, 480; V, 20).

3. *Et praecaveri debet.* Quatenus autem debeat praecaveri, seu quatenus, si non praecaveatur, imputetur, exponent principia nunc enuntianda.

II. **Principia.** 1. Homo per se nequit venereorum perditionem **66**
vel consumptionem promovere, a. v. per se nequit ponere actum, ex quo effectus venereus secuturus est. Cum enim venerea ut talia individuo ob bonum speciei concredita sint, homo-sicuti nequit ea directe deperdere — ita per se nequit influxum in eorum iacturam exercere, a. v. ponere actum, ex quo effectus venereus secuturus est. Si sine ratione proportionata actum ponat, effectus in culpam imputatur. Atque haec, quae diximus, sententiae *S. Thomae* congruunt, quippe qui doceat, pollutionem in culpam imputari, si causata est ex superfluitate cibi vel potus (2. 2. q. 154, a. 5) i. e. ex causa per accidens tantum in pollutionem influente. Denique bene notes, argumentum valere, etiamsi effectus venereus mere permittatur, i. e. non intendatur.

2. Quo magis actus ponendus habet rationem causae, eo gravior per se est obligatio actum vitandi, eoque gravior causa requiritur, quae actum licitum reddat. Quo posito, omnino concludendum videtur, per se gravem esse obligationem vitandi actum, qui habet rationem causae perfectae, i. e. qui èt natura sua èt graviter in effectum venereum influit; in effectum venereum, dico i. e. in profusionem venereorum, quae èt a voluntate

[1]. Pollutio mere naturalis in aliis bis, in aliis semel in hebdomade, in aliis semel in mense, in aliis minime saepe locum habet.

pendet èt non ordinatur ad bonum speciei, ideoque deordinationem eamque gravem involvit (n. 28)[1].

Neque benignior est *S. Alfonsus,* cum edicit, « pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali, in genere luxuriae » (III, 484). Siquidem intelligit causam, quae natura sua et graviter influit in luxuriam, eaque de causa per se mortalis et, utpote ad luxuriam ducens, in genere luxuriae exsistere dici potest; quod deducitur ex eo quod mox ita pergit « Peccat mortaliter ponens actiones turpes, de se proxime excitantes ad pollutionem seu commotiones. Secus, si causa sit remota, ...peccabit tantum venialiter » (l. c.).

67 III. **Applicationes.** Ex principiis enuntiatis deducuntur normae particulares tam quoad *pollutionem,* cui aequiperantur commotio venerea vehemens et distillatio, quae fit cum magna libidine, quam quoad *commotionem veneream levem,* cui aequiperatur distillatio, quae fit cum minore libidine (S. Alf. III, 477).

1. *Pollutio* imputatur:

a) *In culpam gravem,* si ponitur actio, quae èt natura sua èt graviter in eam influit; eiusmodi enim actio habet, ut iam notavimus, rationem causae perfectae (S. Alf. III, 482). Excusat ratio necessitatis vel notabilis utilitatis.

Actiones èt natura sua èt graviter influentes sunt v. g. *cogitatio* intensa et diuturnior de venereis; *oscula,* sive columbina (i. e. lingua in os alterius immissa) et pluries repetita, sive cum notabili mora habita, sive persaepe repetita; *aspectus* deliberatus sive coitus humani, sive uberum nudorum personae pulchrae, sive partium obscoenarum personae diversi sexus, sive — si aspectus protrahantur — statuarum vel picturarum obscoenarum; *tactus* partium obscoenarum alterius personae, uberum nudorum et — saltem si morose fiat — genitalium animalium; *colloquium* diuturnum et tenerum cum persona inordinate amata, etc. (S. Alf. III, 417 sq.; 482).

Coroll. Ob causam excusantem licet, non obstante pollutione secutura, studere rebus venereis, audire confessiones mulierum, exercere artem chirurgicam, inservire aegrotis vel in balneum euntibus. (S. Alf., III, 420, 483).

[1]. Luxuria secundum *S. Thomam* opponitur vitae hominis in potentia. In semine humano « est homo in potentia... et ideo inordinatio circa emissionem seminis est circa vitam hominis in potentia propinqua » (De malo, q. 15, a. 2; q. 2, a. 10).

b *In culpam levem,* si ponitur actio, quae aut natura sua sed leviter tantum aut per accidens in eam influit; eiusmodi enim actiones habent tantum rationem causae imperfectae (S. Alf. III, 484). Excusat causa iusta; quae tamen, si de actione per accidens influente sed peccaminosa agitur, non habetur (S. Alf. III, 483, 3°, 4°, 5°; 484 in fine).

Actiones *natura sua sed leviter tantum* influentes sunt v. g.: *aspectus* pectoris feminae, spectaculorum leviter inhonestorum, et — saltem si obiter fiat — personae nudae eiusdem sexus; *osculum* leve puellae; *tactus* propriorum genitalium obiter factus etc. — Actiones per accidens influentes dicuntur eae, quae sunt extra materiam luxuriae, ut crapula, ebrietas, equitatio etc. (S. Alf. III, 481).

Coroll. « Licet, etiam praevisa pollutione, equitare causa utilitatis... et etiam causa recreationis... Licet decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum... cibos calidos aut potus moderate sumere » (S. Alf. III, 483).

Disputatur, utrum in culpam gravem an in levem imputetur pollutio, si quis ponat actionem, quae natura sua mediocriter tantum influat in pollutionem, sed quae, spectata peculiari alicuius ad venerea dispositione, probabiliter secutura sit. Iam vero *S. Alfonsus* docet, pollutionem in casu in *gravem* culpam imputari, quia ex una parte actio posita respectu huius subiecti habet rationem causae perfectae; ex altera parte non ita onerosum est a causis mediocriter influentibus abstinere, ut quis ea de causa a toto vel a tanto excusetur. Secus dicendum, si quis ex causis *levibus* frequenter polluitur, « quia hominibus est quasi moraliter impossibile omnes has causas communiter evitare » (S. Alf. III, 484).

Actiones *èt natura sua èt mediocriter* influentes sunt v. g.: *aspectus* spectaculorum turpium ex vanitate, coitus animalium grandiorum et — saltem si aspectus continuetur — personae nudae eiusdem sexus; *tactus* propriorum genitalium etc. (S. Alf. III, 484).

2. *Commotio venerea levis* mitius quam pollutio et commotio vehemens diudicanda est; tum quia, utut inordinatio gravis, minor tamen est; tum maxime ob onus eiusmodi commotiones evitandi. Hinc satis probabiliter in culpam *levem* tantum impu-

tatur, etiamsi quis ponat actionem, quae èt natura sua èt graviter in eam influat; idem a fortiori dicendum, si actio aut natura sua et leviter aut per accidens tantum, utut graviter, influat in eam (cfr. S. Alf. III, 477, 2°). Causa iusta excusat, magis etiam in casu influxus levis. Si dictae commotiones ex actione *honesta* sequuntur, passim praestat eas non curare.

68 Coroll. I. Notes, saepius specie luxuriam indirecte voluntariam, re vera autem directam haberi, maxime quando quis ob rationem non proportionatam vel mere praetextam actiones exercet, quae per se et graviter in effectum venereum influunt. Rationes non proportionatae vel etiam mere praetextae haud ita raro sunt: scientia promovenda, valetudo propria vel alterius curanda, dolor, ignorantia, scrupulositas proximi dissipanda etc., quae scilicet praetexuntur, dum re vera, utut tacito quodam sensu, ex luxuriae intentione proceditur. Eiusmodi agendi ratio a VERMEERSCH [1] dicitur *luxuria larvata.*

Coroll. II. Pollutio in somno habita ita diudicanda:

1° Non imputatur in culpam, si ex causa *mere naturali,* ut ex superabundantia seminis (n. 65) proveniat. Immo in casu nullatenus malum dici potest, ita ut etiam liceat eam affectu inefficaci desiderare atque de illa exorta gaudere (S. Alf. III, 480, V, 20). Attamen nullatenus licitum est illam procurare aut aliquo modo ad illam iuvare, aut aliquod eo fine ut eveniat facere, quia iam non esset mere naturalis. « Verum, si quis homo caelebs emissiones spontaneas nocturnas difficiliores aut rariores expertus sit, et ideo male per diem nervose affectus sit, potest tuta conscientia aptam medicinam sumere, non quidem ut definitam quandam pollutionem obtineat, sed ut egestus in genere facilior reddatur. Nihil enim aliud directe efficit quam corpus suum ita temperare, ut natura regulariter agere possit » [2].

2°. Imputatur in culpam *gravem:* « 1°si ante directe vel formaliter est procurata (a. v. si intenta est) et causa non est retractata; 2° quando post somnum placuit et approbata est propter delectationem venereamm; alias non » (S. Alf. III, 485; Hom. Apost. tr. q, n. 34). Ratio, cur alias non imputetur in cul-

---

[1]. De castitate et de vitiis contrariis, n. 388-389.
[2]. VERMEERSCH, o. c. n. 330.

pam gravem, est, quia ipse somnus efficit, ut causa ante somnum posita nequeat dici proxime influens.

3° Imputatur in culpam *levem,* si sine causa iusta ponitur actio impudica, ex qua secutura satis praevidetur. Atque ita quidem theoretice dicendum; practice vero difficile determinatur, quandonam aliqua actio in pollutionem, de qua sermo sit, influat; eo magis quod secundum aliquos ea potius phantasmata per somnum recurrunt, quibus quis per diem minus, quam quibus magis occupatus fuerit[1].

Qui expergefactus animadvertit, pollutionem instare vel incoeptam esse, et generatim qui pollutionem involuntarie inchoatam patitur, non tenetur seminis fluxum inhibere, quia difficillimum est avertere exitum seminis iam e lumbis decisi. Curandum tamen, ut periculum consensus, puta orando, de aliis cogitando, avertatur (S. Alf. III, 479). Si consentiat, peccat graviter, si sit plene sui compos; secus si non sit plene evigilatus.

Coroll. II. Magnus pruritus in verendis potest fricando abigi, etiamsi pollutio sequatur, si pruritus ex acrimonia sanguinis, non autem, si ex ardore libidinis provenit. Ratio est, quia pollutio in priori casu non est *medium* effectus boni obtinendi, quidem vero in altero. Praesumi autem potest, pruritum ex sanguinis acrimonia provenire, nisi, habita pollutione, *subito* cesset (S. Alf. III, 483, 2°; Hom. Apost. tr. 9, n. 35).

Coroll. III. Magna nervorum in genitalibus irritatio, quae quasi cogit ad tactus vel motus, qui pollutionem inducunt, diudicanda ut pruritus, de quo modo sermo fuit; scilicet potest tactu vel motu exstingui, si ex sanguinis acrimonia, non autem si ex libidinis ardore exoriri censeatur. Quod autem v. g. motus corporis fieri nequit ad abigendam irritationem, quae ex ardore libidinis provenit, id non impedit. quominus ob alium finem fiat, — puta ut situs in lecto vere molestus cesset, etc. — atque pollutio *permittatur.* Interim commiserandus ille homo Deum exoret, ne in pollutionem consentiat.

---

[1]. VERMEERSCH, o. c. n. 385.

PARS II.

De castitate quatenus respicit actus, qui ad venerea ordinantur seu de pudicitia.

Dicemus *primum* breviter de ipsa virtute pudicitiae, *deinde* de vitio ei opposito seu de impudicitia.

SECTIO I.

De ipsa virtute pudicitiae.

69 *Pudicitia* est castitas quatenus moderatur actus, qui ad venerea ordinantur, cuiusmodi sunt aspectus, oscula, amplexus, tactus inhonesti. « Nomen *pudicitiae,* inquit *S. Thomas,* a pudore sumitur, et ideo pudicitia proprie est circa illa, de quibus homines pudore afficiuntur seu verecundantur. Homines autem maxime verecundantur circa venerea et signa venereorum, cuiusmodi sunt aspectus impudici, oscula et tactus. Et quia haec, i. e. signa, magis solent deprehendi, ideo pudicitia magis respicit huiusmodi exteriora signa; castitas autem magis ipsam veneream commixtionem; et ideo pudicitia ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam » (2. 2. q. 151, a. 4).

SECTIO II.

De vitio opposito seu de impudicitia.

CAPUT I.

Principia.

70 I. **Notio.** *Impudicitiae* nomine veniunt actus externi, qui natura sua influunt in motum venereum et inordinate ponuntur. Eiusmodi esse possunt: aspectus, tactus, amplexus et oscula (S. Thom. l. c. et 2. 2. q, 154, a. 4, ad 2).

71 II. **Moralitas.** 1. Actus supra enumerati in se *indifferentes* sunt; si essent in se mali, nunquam liciti forent (S. Thom. 2. 2, q. 154, a. 4).

2. Actus enumerati, in se indifferentes, *illiciti* evadere possunt, ratione sive scandali et cooperationis, sive intentionis, sive periculi effectum venereum provocandi, sive periculi in effectum venereum consentiendi (cfr. S. Thom. 2. 2. q. 154, a. 4; S. Alf. III, 426). Dicitur:

a) *Ratione scandali et cooperationis;* quo in casu moralitas diudicanda est secundum doctrinam theologorum de scandalo et cooperatione in genere.

b) *Ratione intentionis;* nimirum semper *graviter mali* sunt, si fiunt cum intentione excitandi pollutionem vel aliquam commotionem veneream.

c) *Ratione periculi effectum venereum provocandi;* in casu moralitas definienda secundum dicta de luxuria indirecte voluntaria (n. 65-68).

d) *Ratione periculi in effectum venereum consentiendi;* scilicet si illud periculum grave est et remanet, actus impudicus sub gravi vitari debet.

3. Actus enumerati et ob aliquam e causis assignatis illiciti, specie differunt prout sequitur:

a) *Secundum* se non differunt specie, ita ut v. g. *aspectus* et *tactus* peccaminosus puellae eamdem speciem luxuriae contineant.

b) Actus enumerati et illiciti per se induunt speciem actus in eadem specie completi, i. e. fornicationis, sodomiae vel bestialitatis prout personam diversi vel eiusdem sexus vel bestiam respiciunt; quae tamen *aspectibus* non applices, quia non censentur naturalis inchoatio actus completi. Dixi *per se,* quia secus dicendum, si ab agente ad actum in alia specie completum referuntur (n. 50).

c) Actus enumerati et illiciti praeterea contrahunt speciem: 1° a circumstantiis *subiecti* seu peccantis, quatenus hic, si coniugatus est, speciem *adulterii,* si persona sacra est, speciem *sacrilegii carnalis* contrahit, etc. 2° a circumstantiis *obiecti,* quatenus, si personam coniugatam respiciunt, iterum rationem *adulterii;* si sacram, rationem *sacrilegii carnalis;* si cognatam vel affinem, rationem *incestus* induunt; haec tamen denuo de actu *aspiciendi* non valent, nisi affectus libidinis determinatus sit in personam v. g. coniugatam, *qua talem.* Ratio discriminis est,

quia tactus, oscula et amplexus, utpote qui in concreto et materialiter talem personam attingant, nequeunt abstrahere a circumstantia personae inhaerenti. Aspectus qui minus materiales sunt, a persona qua tali passim abstrahunt. Accedit quod, ut diximus, non censentur naturalis inchoatio actus completi.

Nota. Oscula, amplexus, tactus et aspectus honesti quatenus diudicanda sint, si fiant ex delectatione sensibili carnali, vide n. 64.

Caput II.

Applicationes[1].

72 Antequam principia exposita casibus particularibus applicemus, notentur haec:

1° In secuturis partes *inhonestae* intelliguntur genitalia eisque proxima; *minus honestae,* pectus et crura; *mediae inter utrasque,* ubera.

2° *Tactus* per se magis influunt quam aspectus et cogitationes; tactus *hominis* magis quam *bestiae,* corporis *alieni* magis quam *proprii,* personae *diversi sexus* magis quam *sexus eiusdem;* aspectus et tactus *morose, ardenter, iteratim* facti magis quam *obiter, pacate* vel *semel* admissi.

Ceterum resolutiones, quas e principiis statutis deducemus, 1° respiciunt communiter contingentia, ita ut exceptiones non excludantur; 2° abstrahunt a causis excusantibus, quae efficere possunt, ut quae per se illicita sint, per accidens licita evadant.

ARTICULUS I.

De aspectibus.

73 I. *Passim grave erit:*

1. Aspicere deliberate *partes inhonestas* personae diversi sexus vel concubitum humanum (S. Alf. III, 421). Excipe, si eminus et obiter fit; vel si aspicitur infantulus, quia minus movet. Ideo a gravi immunes sunt, immo practice ob causam passim omnino excusantur ancillae, quae dum pueros sibi commissos curant, eorum pudenda aspiciunt[2].

---

[1]. Praxeos causa principia exposita etiam sermonibus, cantilenis et lectionibus applicamus, quamvis stricte loquendo occasiones luxuriae internae potius quam actus impudici sint.

[2]. Aertnys-Damen, Theol. Mor.[10], I, n. 636.

2. Aspicere morose *ubera* mulieris pulchrae omnino detecta vel velo tenuissimo tantum obtecta. Sed per se grave non est aspicere mulieres lactantes aut nudum pectus alius mulieris vel puellae nondum formatae (S. Alf. III, 423).

3. Aspicere repraesentationes v. g. bioscopicas vel choreas, ratione nuditatum vel motuum vere obscoenas.

4. Aspicere morose sculpturas vel imagines, quae exhibent actus obscoenos vel pudenda nuda personae alterius sexus et grandioris (S. Alf. III, 424). Excipiunt, si e longinquo aspiciuntur vel si pictura ob vetustatem minus movet.

II. *Passim veniale tantum est:*

1. Aspicere *partes inhonestas* personae eiusdem sexus (S. Alf. III, 420). Excipe, si aspectus valde morosus sit. Hinc per se a gravi culpa excusantur personae eiusdem sexus simul natantes, detectis pudendis; valde tamen suadendum, ne connatent sine subligaculo. Ceterum quoad *natationes* notandum, saepius contingere, ut pueri simul natantes inhonesta inter se peragant. Praeterea natationes ad viam publicam facile rationem scandali induunt ob personas diversi sexus obvenientes.

2. « Aspicere... partes *minus honestas*... mulieris » (S. Alf. III, 423); si tamen aspectus diuturnus sit, pluribus erit mortale. Aspectus in partes honestas personae diversi sexus per se culpa caret. Attamen aspectus diuturnus passim venialis erit, immo mortalis, si quis inordinato amore erga personam aspectam afficiatur (S. Alf. III, 422).

3. Aspicere propria genitalia, item genitalia vel coitum brutorum; attamen aspectus diuturnus vel saepe repetitus iterum non raro pluribus erit mortalis (S. Alf. III, 419).

Nota. Quoad « eos qui balneis, ut dicunt, *aëris* vel *solis* utuntur, ad sanitatem firmandam roburque nervorum augendum, de se, adhibitis cautelis, licite agunt. Cautelae sunt sequentes: stante fine rationabili, excludatur curiositas respectu sui vel alterius; tegantur saltem pudenda. Melius esset si adhiberetur vestis pertenuis et ampla, qua indutus patiens intentum finem aeque facile attingeret. Omnino respuenda est theoria moderna

circa opportunitatem oculos aspectui nudo assuefaciendi. Paganorum sensum et luxuriam olet »[1].

III. Usus pictorum et sculptorum assumendi pro exemplari personas nudas, ita diudicandus videtur, posito nimirum illud, prout arte periti asserunt, artis comparandae causa necessarium vel utile esse:

1. Rectores academiae eiusmodi usum promoventes excusantur; discipuli ipsi passim in occasione necessaria versantur, atque secundum regulas eiusmodi occasionis pertractandi sunt.

2. Parentes ita filias periculo obicientes theoretice ob urgentem necessitatem, practice vix excusari possunt.

3. Personae ex praecepto parentum pro exemplari sese sistentes passim in occasione necessaria versantur, atque ita tractari debent; qui sui domini sunt, ob solam urgentem necessitatem excusantur[2].

ARTICULUS II.

De tactibus.

74 I. *Passim* mortale erit:

1. Tangere super nudum partes inhonestas personae diversi sexus, exceptis nutricibus et ancillis, quae curant infantes sibi commissos, nisi *morose* tangant; item tangere dictas partes super vestes, quamvis illud, si ex ioco et obiter fiat, aliquando a gravi excusari possit (S. Alf. III, 420).

2. Tangere *ex proposito* vel *cum mora* utut super vestes partes inhonestas personae eiusdem sexus; si fiat *ex ioco et obiter,* saepe grave peccatum aberit (S. Alf. l. c.).

3. Tangere *cum mora* sive ubera nuda sive partes minus honestas mulieris (S. Alf. III, 430). Immo Bened. XIV damnavit librum, qui tactum mamillarum mulieris honestae, secluso pravo affectu et intentione, de se veniale tantum dicebat. Item graviter peccat iuvenis, qui puellam super gremium suum sedentem tenet; et puella, quae haec patitur. Tangere autem ubera *obiter* vel partes honestas mulieris cum mora veniale est.

---

[1]. MARC-GESTERMANN, Institutiones morales Alphonsianae[15], I, n. 814, nota.

[2]. Cfr. MARC-GESTERMANN, o. c. I, n. 815.

4. Tangere *morose* vel *saepius* partes inhonestas proprii corporis aliis mortale, aliis veniale erit; *secus* pro veniali habetur (S. Alf. III, 419).

5. Tangere genitalia brutorum *usque ad pollutionem bestiae; secus* per se veniale erit (S. Alf. III, 420).

II.Qui (v. g. puella) se tangi permittit, ita peccare dicendus est:

1. Si tactus (osculum etc) est *in se indecens vel impudicus,* peccat illum permittendo, atque quidem graviter vel leviter prout tactus graviter vel leviter impudicus est.

2. Si tactus (osculum etc). *in se decens,* sed ex intentione tangentis libidinosus est, non peccat: 1° si tactus in *publico* (v. g. in choreis) fiat, quia èt verecundia èt infamia tangentis praecavenda involvunt causam sufficientem permittendi peccatum proximi; 2° si tactus *secreto* fiat et *non constet* de pravo affectu; si *constet* de eo, peccat (S. Alf. III, 430).

ARTICULUS III.

De osculis.

I. *Passim mortale est:* 74

1. Osculari ubera mulieris; item partes minus honestas personae diversi sexus. Osculari partes honestas quidem sed minus usitatas personae alterius sexus saepius grave erit (cfr. S. Alf. III, 417).

2. Osculari personam diversi sexus in gena *diu* vel *persaepe;* sive supra os *cum notabili mora* vel *saepe;* sive lingua in os alterius immissa (oscula columbina) *cum mora* vel *pluries;* hoc ultimum una alterave vice et sine mora factum saepius mortale erit (cfr. S. Alf. l. c.).

3. Osculari, compressis inferioribus partibus corporis ad corpus alterius.

Nota generalis. Oscula, amplexus et tactus honesti inter personas diversi sexus:

1° facti *in signum amicitiae* culpa carent (S. Alf. III, 417),

« Servandum tamen hic est decorum; in multis enim regionibus non decet viros ecclesiasticos, maxime religiosos, osculo testari amicitiam erga foeminas, etiamsi sanguine iunctae essent »[1].

2° facti *ex levitate* venialiter mali sunt (S. Alf. III, 418).

3° facti *ex delectatione sensibili carnali* veniales sunt (S. Alf. l. c.); quando mortales evadent, vide n. 64.

ARTICULUS IV.

De sermonibus et cantilenis.

76 *I. Passim mortale erit:*

1. Loqui de rebus valde turpibus, ut de genitalibus, de copula, de modis eam peragendi etc. (S. Alf. III, 426); si fiat inter coniugatos, facilius grave aberit.

2. Loqui turpia cum persona alterius sexus maxime iuniori; item colloquium diuturnum et vanum cum puella inordinate dilecta (S. Alf. III, 422)[2]; loqui turpia cum personis eiusdem sexus, si sermones turpes protrahantur.

3. Iactando actus turpes proprios narrare (S. Alf. l. c.).

4. Denique loquendo turpia passim graviter peccare censendi sunt, qui quavis occasione turpia loquuntur vel sermones diu continuant, item qui valde corrupti sunt.

II. *Passim veniale erit:*

1. Loqui turpia obiter ioci causa (S. Alf. l. c.).

2. Instituere colloquia tenera cum persona alterius sexus.

Nota. Poenitentes, qui de turpiloquiis se accusant, interrogantur: 1° generaliter tantum, num sermones valde turpes instituerint; 2° ratione scandali, num coram coniugatis vel non coniugatis, adultis vel pueris aut puellis sermones habuerint. « Facilius enim scandalizantur puellae et pueri quam adulti, praesertim qui in hoc vitio sunt habituati » (S. Alf. Prax. conf. n. 40).

III. Qui *audiunt* turpia, ita peccant:

---

1. AERTNYS-DAMEN, Theol. Mor.[10], I, 636.

2. *S. Thomas* (Opus. 64, § de Fluxu libidinis), de distillatione loquens, ait colloquia vana cum inordinate amatis, fugienda esse sub mortali, si ex illis proveniat distillatio.

1. Peccant *graviter:* 1° qui morose delectantur de re turpi audita vel gravi periculo delectationis morosae se exponunt; non autem qui solum de *lepido loquendi modo* sibi complacent; 2° qui complacentiam manifestando cooperantur peccato gravi loquentis, vel turpiloquia non impediunt, quamvis ex officio teneantur ea impedire. Ceteri, qui ex erubescentia ea non impediunt, passim graviter non peccant. Immo si spes fructus desit, omne peccatum abesse potest.

Nota 1. Quae dicta sunt de sermonibus, ea etiam *cantilenis* applicanda sunt.

Nota 2. Lectio librorum turpium passim graviter peccaminosa est; lectio turpiculorum venialiter mala; attamen etiam horum lectio iunioribus saepius grave peccatum est.

Nota 3. Olfacere menstrua, semen aliaque huiusmodi censetur inordinatio gravis, levis vel nulla prout periculum incidendi in actum venereum externum vel peccatum internum, grave, leve vel nullum est.

Scholion I.

De hypersexualitate, de sexualitate contraria et perversione sexuali.

I. **Hypersexualitas** consistit in anormali ad venerea propen- 77
sione. Quod ad hanc materiam attinet, cum ESCHBACH[1] tres hominum classes secerni possunt, prout alii vel communes et intermissas, vel vehementiores et fere continuas, vel effraenatas omnino tentationes patiuntur. Quoad posteriores autem, quos hic praesertim spectamus, laudatus auctor haec scribit: « Coelibes interdum inveniuntur tali effraenata et crudeli libidine laborantes, quae iam non simplex libido esse videatur sed physica, et fere invincibilis ad venerea propensio. Sane inter tot et tantas miserias ac aerumnas, quibus humanum corpus subiacere scimus, etiam eiusmodi a medicis recensetur, quae, si de maribus sermo est, *satyriasis* (quasi satyros faciens), apud feminas *furor uterinus* seu *nymphomania* audit. Utriusque naturam in cerebri plexusque nervosi laesione vel irritatione, vulgo *névrose,* sistere

[1]. Disputationes physiologico-theologicae[2], p. 532-533.

aiunt; causas vero vel morales v. g. pravos mores, eroticas lectiones, etc., vel mere physicas assignant; effectus demum lugendos nimis esse experientia docet. Infelices enim coelibes isti, velint nolint, tota fere die et nocte foetidissimis impudicitiae et voluptatis cogitationibus, phantasmatibus et desideriis occupantur, carnalem copulam continuo violenterque appetunt, quin unquam, si cedant, satiari possint; si venere priventur, in rabiem eroticumque delirium aguntur, pudorem omnem, quod praesertim de feminis valet, abiiciunt, immo ut bruta animalia saepe istae se gerunt ».

78 II. **Sexualitas contraria** habetur, quando inclinatio sexualis fertur in personas eiusdem sexus; in muliere dicitur amor *lesbiacus* seu sapphicus; si fertur in pueros, *paederastia* vocatur.

79 III. **Perversio sexualis**[1] consistit in eo quod libido alicuius excitatur cogitationibus, rebus vel actibus a vita sexuali alienis. Distinguuntur *Sadismus, Masachismus* et *Fetichismus.*

1. *Sadismus* (a Marquis *de Sadi,* qui ita affectus erat) est, si libido excitatur patrando actus crudelitatis, puta puellam cultro pungendo.

2. *Masachismus* (a *Sachez Masoch*), qui in operibus romanensibus haec describit) dicitur, si libido excitatur patiendo actus crudelitatis.

3. *Fetichismus* est, si libido excitatur imaginatione vel concontrectatione rerum vel corporis partium, quae ad venerea non pertinent, ut sunt manus, pes, crines, panni etc.

Nota generalis. Multa discretione opus est ad iudicium ferendum de imputabilitate eorum, qui maxima et vere anormali vi in venerea feruntur. Siquidem ipsorum, qui haec patiuntur, testimonio saepe fides adhiberi non posse videtur; nam aliquando falso existimant, se voluntarie egisse, licet ex aliis indiciis id verum non esse appareat. Securius quidem iudicium secundum fertur circa eos, qui pie vivunt; multo maior difficultas est in eis, qui pietatem parum curant.

---

[1]. Cfr. CAPELLMANN-BERGMANN, Pastoral-Medizin[18], p. 196 sq.; NOLDIN, o. c. p. 47.

Scholion II.

De remediis contra luxuriam.

Respicimus eos praesertim, qui luxuriae, maxime pollutionibus dediti sunt. Remedia autem distinguuntur naturalia et supernaturalia.

I. Remedia *naturalia* sunt v. g. 1° Uti cibis tonicis, levibus 80
et facilis digestionis; minime vero cibis et potionibus excitantibus; 2° vitare otium et solitudinem, atque labore utili occupari; quem laborem, quatenus fieri possit, expedit assignare; 3° cubare in lecto duriori [1], in latus — non in dorsum — brachiis super pectus decussatis; uti levi opertorio, nec nimio somno indulgere [2]; 4° in balneis utendis frigida lavari; 5° denique pharmaca quaedam venereis temperandis utilia videntur, ut lupulinus, eroina [3]; item sic dictus *agnus castus* [4]. Notum quoque est aphorisma salernitanum: « Camphora per nares castrat odore mares »; quod tamen non admittit *Gemelli* [5].

II. Remedia *supernaturalia* — praeter fugam occasionum, frequentiam sacramentorum [6] et orationem — sunt: 1° Firma de gravitate et detrimentis mali persuasio; quam confessarius paterne quidem, sed serio et efficaciter ei ingerere conetur; 2° animus misero peccatori additus eiusque mentis et cordis ad pugnam erectio; 3° propositum virile, illudque subinde maxime mane et vespere renovatum; 4° filialis erga B. M. V. devotio, addita consuetudine recitandi quotidie, mane et vespere, ter

---

[1]. « Le corps ne doit jamais reposer sur la plume, qui échauffe, provoque des démangeaisons, des attouchements même: causes fréquentes d'habitudes pernicieuses. Le lit doit être plutôt dur que moelleux » (Bossu, apud Eschbach, o. c. p. 532).

[2]. « Le sommeil dure six à huit heures, terme moyen. L'habitude a la plus grande influence sur cet état de l'économie ». « Le lever tôt conserve la santé et la sainteté » (S. Franc. Sal.). (Brachet, apud Eschbach, l. c.).

[3]. Gemelli, Non moechaberis, c. 5, p. 171 sq.

[4]. L'Agnus castus a été célèbre autrefois. Nous même nous en avons quelquefois conseillé l'usage, et malgré l'assertion des médecins modernes qui lui dénient toute efficacité en ce genre, nous en avons reçu les rapports les plus satisfaisants sur son emploi ». (Catéchisme du V. César de Bus, annotés par Bonhomme t. II, p. 354).

[5]. L. c.

[6]. « Vix puto esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam confessionem cum uno eodemque confessario... est enim hoc sacramentum maximum frenum, et qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem nisi per miraculum ». Ita *S. Alfonsus* (VI, 464) cum *Toleto*.

Salutationem Angelicam una cum invocatione indulgentiis ditata: « Per tuam Immaculatam Conceptionem, o Maria, redde purum corpus meum et sanctam animam meam » (Indulg. 300 dierum, Pius X, 5 Dec. 1904); 5° corporis castigatio et ieiunia; sed personarum ratio habeatur; 6° mentis alio aversio, ubi primum insurgit tentatio; item invocatio SS. Nominum Jesu et Mariae; 7° animi, si de persona magis exculta agitur, ad officia nobilia et bono communi utilia incitatio; 8° denique passim maxime suadeatur matrimonium (S. Alf. Prax. Conf. n.15, 16)[1].

[1]. Si media irrita remanserint, « recurrendum est, inquit *Antonelli,* ad amputationem clytoridis (clytoridectomia) in mulieribus, etiam adultis. Haec operatio facillima est et omnino innoxia... Verum est nonnullos doctores hanc operationem minime probare, quia per hanc privatur mulier loco praecipuo voluptatis. Sed haec ratio nihili est facienda, quia, si agitur de coniugata, copula normalis cum voluptate et foecundatione nullo modo impeditur; si agitur vero de puella innupta, haec operatio causam removet tot peccatorum et nonnisi magna commoda eius valetudini affert » (Medic. past. I, n. 504). Ad quae noto: Praeterquam quod amputatio notatu digna tantum ad directum bonum totius licita est, in casu clytoris *ut talis,* i. e. quatenus est sedes voluptatis venereae amputatur. Atqui clytoris ut talis utpote respiciens bonum speciei, ob bonum individui amputari nequit.

LIBER II.

De castitate coniugali speciatim.

(S. Thom. Suppl. q. 49, a. 4-6; S. Alf. Theol. Mor. VI, 900-954; Hom. Apost. tr. XVIII, n. 35-50)[1].

Ut supra notavimus, castitas coniugalis est, qua coniuges excludunt usum veneorum illicitum, licitum vero prudenter moderantur. *Primum* de licitis, *deinde* de illicitis disseremus; de licitis autem agentes etiam exponemus, quatenus ea forte coniugibus obligatoria sint.

PARS I.

De actibus licitis coniugum.

Distinguuntur actus principalis seu copula coniugalis et actus accessorii.

SECTIO I.

De copula coniugali.

CAPUT I.

De liceitate copulae coniugalis.

Copulam coniugalem *in se* seu *obiective* licitam esse, patet tam 81
ex S. Script. (Gen. I, 28; 1. Cor. VII, 3; Hebr. XIII, 4) et Iure Can. (can. 1081, § 2 et 1111), quam ex eo quod est medium a Deo ordinatum ad propagandum genus humanum. Ut autem copula hic et nunc honesta seu licita sit, requiritur: 1° ut absit impedimentum, quod eam vetet; 2° ut absit damnum timendum, quod debeat praecaveri ideoque copulam prohibeat; 3° ut fiat e fine recto; 4° loco et modo debitis. Magis practicum ducimus de absentia impedimentorum et damni ultimo loco disserere.

---

[1]. Cfr. SANCHEZ, De matrimonii sacramento, l. 9.; DE SMET, De sponsalibus et Matrimonio[3], I, n. 207-248; VLAMING, Praelectiones iuris matrimonii[2], II, n. 623-638.

ARTICULUS I.

De fine.

82 I. Fines intrinseci copulae coniugalis scilicet ipsius operis sunt: Finis principalis est procreatio prolis; fines secundarii sunt sedatio appetitus seu concupiscentiae tam in se quam in comparte, significatio amoris coniugalis huiusque augmentum (cfr. can. 1013, § 1). Denique plures alii fines ab operante intendi possunt ut v. g. sanitas procuranda etc. (S. Alf. VI, 882, 883).

II. Copula (si peragitur) tantum ob finem honestum peragi potest. Sufficit tamen quilibet finis honestus, satisque est, honestum finem virtualiter intendi. Dixi:

1. *Copula tantum ob finem honestum peragi potest.* Etenim omnis actus humanus, ut bonus sit, debet fieri ob eum solum finem, qui naturae hominis, i. e. rationali convenit. Atqui naturae rationali convenit agere ob finem honestum, non vero ob alium (S. Thom. 1. 2. q. 4, a. 2, ad 2; S. Alf. V, XLIV).

Coroll. I. Illicitum est habere copulam ob *solam delectationem;* ut patet ex dictis et ex prop. 9 damnata ab Innocentio XI, quae dicebat: « Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali » (S. Alf. VI, 912). Attamen qui ob solam delectationem copulam peragit, venialiter tantum peccat, siquidem usus inordinatus rei in se licitae, cuiusmodi est copula, gravem inordinationem non continet, cum defectus non cadat in substantiam actus. Excipe, si quis delectationem actualiter aut virtualiter pro ultimo fine haberet (S. Alf. l. c.).

Coroll. II. Illicitum est habere copulam (etiam) ob delectationem, *sistendo* (etiam) *in ea qua tali,* quia delectatio qua talis non est finis honestus. Alicui tamen illud licitum videbitur, quatenus actus (honestus) eiusque delectabilitas *unum* constituunt.

Coroll. III. Licitum est habere copulam ob delectationem *quatenus* (ex intentione Auctoris naturae) *allicit ad actum in se ordinatum,* i. e. ad copulam coniugalem; item quatenus conducit ad bene esse et operari corporis vel animae. Ratio est, quia delectatio ut talis considerata habet rationem finis honesti (S. Alf. VI, 912; cfr. S. Thom. 1. 2, q. 34, a. 1; 2. 2, q. 141, a. 6, ad 2; 2. 2, q. 168, a. 2; C. G. l. 3, c. 9, n. 1).

2. *Sufficit quilibet finis honestus,* sive operis sive alius ab agente intentus, sive in specie sive vago modo conceptus. Ratio est, quia *ipsi fines* operis non cadunt sub praecepto; quo posito, agenti liberum est alium finem honestum sibi praestituere (S. Alf. VI, 927, coll. 882 et 883)[1]. Plures tamen censent, ut mox notabimus, finem ipsius operis eo ipso quod non positive excluditur, saltem implicite intendi.

Coroll. Non peccant coniuges, qui in copula ob finem honestum habita cupiunt, conceptionem non sequi, modo actus positus de se fini primario seu prolis procreationi aptus sit (S. Alf. VI, 831, 927).

3. *Satis est, honestum finem virtualiter intendi* seu copulam *virtualiter* in finem honestum referri; id sequitur ex eo quod, spectata talis relationis natura, copula per eam *vere* in finem honestum refertur; quod sufficit (S. Alf. V, XLIV).

Disputatur, num qui peragat copulam, nec finem honestum operis, v. g. procreationem, positive excludat, eo ipso finem honestum (saltem implicite) intendat. Plerique recentiores affirmant, sed negandum videtur. Etenim quod ab opere distinguitur, non implicite intenditur eo ipso quod opus peragitur. Atqui finis operis, v. g. procreatio ab ipso opere distinguitur ut effectus a causa; hinc ut intendatur, novus voluntatis actus requiritur. Sed controversia minus practica est, quia qui debito modo et ordine ponit actum natura sua ad finem honestum ordinatum, nec finem illum positive excludit, passim finem illum positive includit, utut forte confuse et remisse tantum.

---

[1]. *S. Thomas* ita docet: « Duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreandae prolis, et debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale » (Suppl. q. 49, a. 5). Et iterum: « Quod si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum, quia haec est quaedam redditio debiti, quae ad bonum fidei pertinet; sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas: et secundum hoc est peccatum veniale: nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quae est de peccatis venialibus » (l. c. ad 2). Denique: « Dicendum quod quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen haec intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum; sicut qui ex sacramento baptismi tantum salutem corporalem quaereret: et similiter etiam est in proposito in actu matrimonii » (l. c. ad 4).

ARTICULUS II.

De loco et modo seu situ.

83 Quoad locum sufficit notasse, eum debere esse profanum et secretum. Qui copulam habet in ecclesia graviter peccat, nisi necessitas urgeat (S. Alf. III, 458). Qui coiret coram aliis, grave scandalum daret.

I. **Situs naturalis** est, ut coniuges copulam habeant iacendo, utque uxor sit succuba et supina, i. e. facie ad virum conversa, vir incubus. Innaturalis est, quando coitus fit sedendo, vel stando, vel a tergo more pecudum, vel a latere, vel viro succubo (S. Alf. VI, 917).

II. **Obligatio situs naturalis.** Situs innaturalis satis communiter per se pro illicito habetur, quia importat aliquam ordinis a natura indigitati inversionem. Haec tamen per se solum venialis est, quia non pervertit substantiam actus, qui de se aptus remanet generationi. Neque mortalis evadit, quia forte pars seminis certo vel probabiliter peritura est, quia id per accidens fieri censetur, quod non dicitur grave, si ipsemet actus ordinatur ad generationem, ad quam minima pars seminis sufficit (S. Thom. In 4, dist. 31, expos. text. i. f.; S. Alf. VI, 917).

III. **Causae excusantes.** A situ naturali iusta causa excusat, v. g. viri pinguedo, mulieris defatigatio, coniugum frigidatas, si nempe situ innaturali magis excitentur, foetidus halitus, periculum abortus praecavendum etc. (S. Alf. l. c.)

Nota. Si poenitentes se accusant de copula a tergo habita, practice dubium erit, utrum copulam quasi-sodomiticam i. e. in vase praepostero seu in ano, an solum situ innaturali peractam significare velint. Quod ut pateat, sufficit interrogare, num tali modo processerint, ut generatio sequi potuerit. Si generatio potuerit sequi, seminatio locum habuit in vase recto, i. e. in vagina; secus in vase praepostero, quo casu concubitus innaturalis locum habuit (n. 57).

ARTICULUS III.

De absentia impedimenti.

Impedimenta possunt esse: 1° Promissio non utendi matri-

monio, comparti facta; 2° votum castitatis; 3° impotentia coëundi; 4° dubium de valore matrimonii [1].

§ 1. — De promissione facta comparti.

I. **Effectus impedimenti.** Qui tenetur promissione non utendi matrimonio: si ex fidelitate sese obligaverit, *iure sed illicite;* si sese obligaverit ex iustitia, *nec iure nec licite* exigit debitum. Potest tamen amice petere, quia compars promissionem valet remittere. Ita theoretice, quia practice eiusmodi promissio facile erit invalida vel saltem non poterit urgeri. 84

II. **Cessatio impedimenti.** Promissio ab una parte facta, a comparte remitti; utrinque facta, utriusque consensu auferri potest.

§ 2. — De voto castitatis.

I. **Effectus impedimenti.** 1. Coniux voto ligatus per se iure [2], sed illicite *petit* debitum; potest tamen immo tenetur petere: 1° Si compars est in periculo incontinentiae. Ratio est, quia in hac hypothesi obligatio petendi oritur ex ipso fine matrimonii; quae quidem obligatio praevalet obligationi ex voto secuturae. 2° Si compars, utut non petat (v. g. ex verecundia) copulam, tamen appetit eam; tunc enim habetur aequivalenter petitio. Voto ligatus nequit petere ob propriae incontinentiae periculum; hoc enim periculum superandum voto intrinsecum est (S. Alf. VI, 930). 85

2. Coniux voto ligatus tenetur *reddere* debitum, quamdiu compars illud *iure et licite* petit; potest sed (practice) non tenetur reddere, si compars illud petit *iure sed illicite* (n. 99); non potest reddere, si compars iure petendi cessit vel per adulterium eo privata est (n. 97).

Nota. Impedimentum voti non solum copulam, sed etiam actus imperfectos respicit.

II. **Cessatio impedimenti.** 1. Si uxor voto ligatur, maritus satis probabiliter votum directe irritare potest; si maritus voverit,

---

[1]. *Affinitas,* quae sumpta sensu, quo olim acceptabatur, quandoque usum matrimonii vi legis ecclesiasticae impediebat, illi iam non amplius obstat.

[2]. Votum enim ex se non involvit cessionem iuris respectu compartis, sed solum obligationem erga Deum.

uxor sola facultate indirecte irritandi gaudet; si uterque vovit, maritus potest directe irritare votum uxoris, haec autem voto soluta, indirecte votum viri (Cfr. S. Alf. III, 239).

2. Episcopi et confessarii regulares dispensare possunt coniugatos in voto emisso sive ante sive post matrimonium: 1° Si votum non est reservatum[1]; 2° si reservatum est, sed tunc solum in ordine ad rectum usum matrimonii[2], excepto pro utroque casu voto, quod ambo post matrimonium mutuo consensu emiserint, in quo solus S. Pontifex dispensare possit (cfr. tamen dicta sub 1). Eruitur quoad Episcopos, si de voto non reservato agitur, ex can. 1313, 1°; si de reservato, ex consuetudine immemorabili; quoad Regulares ex eorum privilegiis nondum revocatis (S. Alf. VI, 986, 987; de Privil. n. 108 sqq.).

Nota. Ut Regulares privilegio uti possint, accedat deputatio Generalis vel Provincialis vel, ut alii addunt, Superioris localis; secundum aliquos non requiritur specialis deputatio (S. Alf. l. c.). Dispensatio autem etiam extra confessionem concedi potest.

§ 3. — *De impotentia coëundi.*

86 Potentes coëundi sunt ideoque impedimento non ligantur viri, qui ponere valent actum de se aptum ad generationem; item uxores, quae eiusmodi actus admittendi capaces sunt. Actus autem de se aptus ad generationem consistit a parte viri in eo quod vir vaginam muliebrem penetrat, ibique verum semen effundit; a parte mulieris in eo quod membri virilis penetrationem et seminis in vagina effusionem patitur. Quibus positis dico:

I. *Licite copulam habent:*

1. Qui solum incapaces sunt *generandi,* ut feminae steriles; vel senes, qui semine fertili carent (S. Alf. VI, 1095).

2. Feminae, quae semen retinere nequeunt.

---

[1]. Vota privata Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerunt absolute et post completum decimum octavum aetatis annum (can. 1309).

[2]. Itaque coniux dispensatus peccat etiam contra *votum,* si extra usum matrimonii castitatem laedit; post mortem compartis votum plane reviviscit.

3. Feminae, quibus uterus vel ovaria excisa sunt. Quibus enim matrimonium debet permitti, eis etiam permittitur usus eius. Atqui praedictis matrimonium debet permitti[1]. Ultima autem ratio affirmandi est, quia in casu actus positus de se aptus est ad generationem.

4. Feminae, quae *oophorectomiam* passae sunt. Oophorectomia consistit in divisione oviductus seu canalis, quo semen ad ovaria ducitur; hinc efficit tantum, ut semen viri ad ovaria ascendere nequeat, non prohibet autem, quominus in vaginam effundatur seu quominus ponatur actus de se aptus ad generationem.

II. Disputatur, utrum necne licite copulam habeant vasecto- 87
miam passus et castratus.

1. *Vasectomiam passus.* Vasectomia consistit in eo quod, facta incisione per scrotum, organum deferens semen a testiculis elaboratum, resecatur, ita ut semini abrumpatur via ad eiaculationem. Ex quo sequitur, quod vasectomiam passus nequit (post evacuationem epididymatis) semen in vaginam effundere[2]; hinc, admisso actu completo venereorum, vere polluitur.

2. *Castratus*[1]. Huic tam copula (imperfecta) seu penetratio vaginae quam actus incompleti liciti videntur. Etenim castratus vi matrimonii ius in copulam perfectam recepit ac retinet. Porro ius in copulam perfectam secum fert ius tam in actum, qui est pars essentialis copulae perfectae, i. e. in penetrationem vaginae, quam in actus, qui natura sua ad copulam perfectam referuntur, i. e. in actus incompletos.

Obi. 1. Nemo potest habere ius in illicitum. Atqui copula perfecto castrato radicaliter et irremediabiliter illicita est.

Resp. Copula perfecta castrato potius impossibilis quam illicita est (cfr. S. Alf. VI, 933).

Obi. 2. Cum castratus sit ineptus ad actum de se aptum ad generationem, a. v. cum semen in vaginam effundere nequeat, uxoris seminatio evadit mera pollutio.

---

[1]. Cfr. S. C. C. 16 Dec. 1905; S. C. de disc. Sacram. 2 April. 1909.

[2]. Scilicet vasectomiam passi; item castrati, quibus in matura aetate testes contriti sunt, possunt per aliquod temporis spatium semen in epididymate asservatum emittere; dicto autem semine emisso, possunt quidem servare erectabilitatem virgae et vaginam penetrare, ac immo liquidum quoddam eiaculare, sed hoc liquidum non est verum semen, sed humor aliquis aquosus a glandula prostrata secretus (De Smet, De Matrim. II, n. 550).

Resp. Cum uxor ex actu, qui est pars essentialis copulae perfectae, i. e. ex penetratione vaginae videatur recipere ius in seminationem, haec immerito dicitur pollutio. Quod autem seminatio uxoris fine frustratur, id tam vir quam uxor *permittunt.*

Quaer. num matrimonium eiusque usus permitti possint: 1° viro testiculis carenti, cuius scroto testes animalis inserti sunt, quod quandoque locum habuisse novimus; 2° feminae cui artificialiter vagina confecta est.

Resp. Quoad *priorem* casum affirmandum videtur, ubi primum, spectata declaratione vel dubio periti, testes saltem probabiliter pars corporis evasisse et semen humanum utut infertile, producere censendi sunt. Pariter quoad casum *alterum* videtur affirmandum, ubi primum, attenta iterum declaratione vel dubio periti, vagina saltem probabiliter pars corporis effecta est (cfr. can. 1068, § 1). In utroque tamen casu compars futura monenda est. Ceterum certo suadendum, ut, casu occurrente, Auctoritas ecclesiastica consulatur.

§ 4. — *De matrimonio dubie valido.*

88 Si dubitatur de valore matrimonii, veritas inquirenda est, excepto casu, quo inquisitio inutilis praevidetur. Porro:

I. Durante debita inquisitione, dubitans debitum *petere* nequit; tenetur tamen *reddere,* si altera pars non dubitat ideoque bona fide petit; idque valet, quamdiu non est certus vel fere certus de nullitate matrimonii; neque tenetur alteram partem monere. — Si utraque pars dubitat, neutra potest petere vel reddere debitum (S. Alf. VI, 903).

II. Si dubium post debitam inquisitionem perseverat vel iam ante inquisitionem invincibile apparet:

1. Potest (etiam) *petere* debitum, qui matrimonium *bona fide,* i. e. sine dubio de valore vel saltem sine culpa iniit; potest autem petere, quamdiu non est certus vel fere certus de matrimonii nullitate. Ratio est, quia bonum commune exigit, ut in dubio de valore actus bona fide positi, agi possit ac si actus positus validus esset. — Idem ob eamdem rationem satis probabiliter valet, etiamsi matrimonium *mala fide* contractum sit. Excipe tamen pro utraque hypothesi casum, quo dubitatur de morte

prioris coniugis; quae exceptio deducitur ex *Cap. 2 de secundis nupt.*, ex S. C. de Prop. Fid. 1792[1], atque ex eo quod matrimonium prius contractum et probabiliter persistens, praevalet matrimonio dubio posteriori (S. Alf. VI, 904-907). Excipe praeterea casum, quo matrimonium dubium est, quia partes probabiliter consanguineae sunt in aliquo gradu lineae rectae (v. g. pater et filia) aut in primo gradu lineae collateralis (i. e. frater et soror), quia tunc matrimonium prohibetur (cfr. can. 1076, § 3).

2. Tenetur dubitans *reddere* debitum quamdiu non est certus vel fere certus de nullitate matrimonii. Excipe: 1° si dubitatur de morte prioris coniugis *et* compars *mala fide* petit debitum; secus si illud *bona fide* petit (Cap. 2 *de secundis nupt.*); 2° casum quo matrimonium dubium est, quia partes probabiliter consanguineae sunt in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis.

ARTICULUS IV.

De absentia damni avertendi.

Copula prohiberi potest ratione damni ex ea secuturi, idque sub gravi vel sub levi prout damnum grave vel leve timetur. A damno gravi causa gravis, a levi causa iusta excusat.

Damna maxime ex aliquibus, in quibus praesertim uxor versari potest adiunctis, suboriri possunt; quocirca haec magis determinata accipe:

I. **Tempore menstruorum** copula secundum plures per se venia- 89
liter illicita est ob indecentiam; quae tamen secundum alios, utpote physica potius quam moralis, non sufficit ad constituendum peccatum. Per accidens tamen sub veniali prohibetur, quia organa mulieris, quae tempore menstruorum in quadam congestione sunt, per copulam magis irritantur, unde uteri congestiones suboriri possunt. At damnum passim non eiusmodi est, ut copula sub gravi prohibeatur. Ceterum copula tempore menstruorum dissuadenda, quia ob indecentiam mutuae aestimationi nocere potest; excipe, si iudicio medici tempus illud fecundationi mulieris hucusque sterilis aptius videatur. Ceterum coniuges tempore menstruorum naturali nausea a copula averti solent.

---

[1] Cfr. BUCERONI, Enchir. mor. n. 833.

Nota. Tempore *fluxus extraordinarii* facile ex copula aliquod damnum imminet[1]. Quodsi secundum medici consilium certum vel probabile est, grave uxori nocumentum secuturum esse, copula per se sub gravi prohibetur; licita tamen foret ob incontinentiae periculum. Si leve tantum damnum timetur, copula practice licita est, quia dictus fluxus perpetuus vel diuturnus est, adeo ut vir ob incommodum — cui saepe accedet incontinentiae periculum — excusetur (S. Thom. In 4 dist. 32, qu. unic., art. 2, sol. 2; S. Alf. VI, 925).

90 II. **Tempore praegnationis** copula passim licita est. Potest quidem subinde adesse abortus periculum, primo scilicet tempore vel etiam primis mensibus post conceptionem. At primum quidem initio de conceptione non constat. Deinde periculum potius timendum ex eo quod copula saepius vel vehementer peragitur. Denique periculum ex corporum compressione forte timendum mutatione situs auferri potest[2]. Quod autem, stante praègnatione, nova conceptio non sequitur ideoque semen fine generationis frustratur, id alicui, quod opera naturae accessit, non autem actui, quippe qui de se ad generationem ordinetur, adscribendum (S. Alf. VI, 924)[3].

91 III. **Tempore puerperii** vel purgationis grave damnum mulieri timendum est primis post partum diebus, immo secundum CAPELLMANN-BERGMANN[4] per duas hebdomades. Ceterum per se suadendum, ut a copula abstineatur, donec organa mulieris plane restituta sint, scilicet per sex circiter hebdomadas.

92 IV. **Tempore lactationis** copula licita est. Nova conceptio lactis secretionem quidem diminuet, verum praeterquam quod nova conceptio eo tempore parum probabilis est, proli alio modo consuli potest[5] (S. Alf. VI, 911).

93 V. **Tempore morbi** copula licita est prout sequitur:

---

[1]. ANTONELLI, Medic. past.[1], t. II, n. 375; CAPELLMANN-BERGMANN, Pastoral-Medizin[12], p. 345.

[2]. CAPELLMANN-BERGMANN, o. c. p. 317.

[3]. CAPELLMANN-BERGMANN censent, sententia S. Alf. copulam tempore praegnationis per se venialiter illicitam esse, ideoque causam honestam requiri, quae a culpa excuset. At S. Doctor causam honestam tantum requirit, quatenus copula ad finem honestum ordinari debeat (Cfr. VI, 924, coll. n. 813, ad quem S. Alf. remittit).

[4]. O. c. p. 316.

[5]. CAPELLMANN-BERGMANN, o. c. p. 317.

1. *Si morbus non est contagiosus,* concubitus permittitur, modo morbus levis sit nec mulieris genitalia afficiat. Si gravis est et cum magno dolore vel magnis febribus coniunctus, item si mulieris genitalia aegrotant, copula sub gravi prohibetur, quum grave periculum sit, ne morbus multum ingravescat[1]. Attamen causa gravis, puta incontinentiae periculum, excusat, quamvis etiam tunc aegrotans debitum negare *possit* (Cfr. S. Thom. Suppl. q. 64, a. 1; S. Alf. VI, 909, 950).

Nota. Si ex copula imminens mortis periculum secuturum est, quod quandoque timendum, si mulier morbo cordiaco laboret, usus matrimonii prorsus interdicitur; haberetur enim quasi-homicidium. Si medicus pronuntiat, uxorem *ex partu* in gravissimum discrimen adductum iri, gravis causa — ut periculum incontinentiae — copulam licitam reddit, quia non inducit periculum proximum mortis secuturae. Accedit quod conceptio dubia est, quodque medici haud ita raro periculum exaggerant.

2. *Si morbus contagiosus est,* ita dicendum:

a) Si est syphilis seu morbus Gallicus, ut dicitur, copula graviter illicita est, spectatis horrendis istius morbi sequelis et morali certitudine infectionis compartis. Attamen etiam in casu ob gravem causam copula permittenda videtur — non tamen alteri parti imponenda est — modo compars de contagione moneatur (S. Alf. VI, 909). Dicunt praeterea, unguenta reperta esse, quibus contagio avertatur, et quidem certo, si ante vel statim post copulam, minus certo, si intra spatium unius alteriusve horae post infectionem membrum ungatur[2]. Quae si experientia confirmentur, mitius iudicandum de eo, qui eis unguentis tempestive utatur. Denique syphili sub respectu morali fere aequiperatur alia lues venerea, scilicet *gonorrhaea,* saltem in uxore[3].

b) Si de *alio* morbo contagioso agitur, videndum, quae sit morbi natura, quantumque infectionis periculum[4].

---

[1]. Capellmann-Bergmann, o. c. p. 326 sq.
[2]. Vermeersch, De castitate, n. 48.
[3]. Cfr. Capellmann-Bergmann, o. c. p. 321.
[4]. *Phtisis* compartem non inficit per *copulam,* potest tamen alia ratione eam inficere, puta per oscula, sputa etc.; adhaec haereditaria est, a. v. proli communicat dispositionem ad phtisim. Id autem cum permitti possit, phtisis per se non est ratio, cur a copula debeat abstineri. *Frequentior* tamen copula phtisi laborantibus multum nocere potest.

Nota. In superioribus supposuimus, ex copula tempore morbi habita non imminere damnum proli *iam conceptae.* Quodsi id locum habeat, puta si morbus uxori praegnanti per copulam communicatus, etiam prolem *iam conceptam* inficeret, copula remanet illicita. Quod autem proles *concipienda* nascetur morbida, v. g. phtisi affecta, vel etiam ante partum est moritura, id non est ratio, cur diutius a copula abstinendum sit. Valet enim quod *S. Thomas* dicit de prole leprosorum: « Melius est ei sic esse quam penitus non esse » (Suppl. q. 64, a. 1, ad 4; S. Alf. VI, 951).

94 VI. **Post prandium** vel balneum passim nullum damnum notatu dignum ex copula timendum est [1] (S. Alf. VI, 910).

95 VII. **Tempore sacro,** i. e. diebus festis et ieiunii copula non prohibetur. Istis diebus, utpote divino cultui vel poenitentiae dedicatis, a *petenda* copula abstinere, consilium est, nisi tamen incontinentiae periculum subsit (S. Alf. VI, 923; cfr. Rit. Rom. in fine Missae *pro sponso et sponsa*) [2]. Neque in die communionis recipiendae vel receptae copula prohibita est, quamvis consilium esse possit isto die, sicut a pluribus aliis deliciis, ita etiam a copula abstinendi. Haec tamen singulorum devotioni relinquantur.

Caput II.

De obligatione copulae coniugalis.

96 I. Obligatio *petendi* debitum per se deest; quia nemo per se tenetur iure suo uti. Per accidens haberi potest obligatio et quidem *charitatis,* puta si compars videtur versari in periculo incontinentiae, si secus dissidia finiri vel averti nequeunt (S. Alf. VI, 929).

97 II. Obligatio *reddendi* debitum hisce circumscribitur:

1. *Exsistentia obligationis.* Exsistit obligatio reddendi debitum rationabiliter et serio illud petenti. « Uxori, inquit Apostolus, vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui

---

[1]. Capellmann-Bergmann, o. c. p. 329.
[2]. Severius *S. Thomas* (Suppl. q. 64, a. 5).

corporis potestatem non habet, sed mulier »[1]. Est autem obligatio *iustitiae,* ut patet tum ex eo quod Apostolus dicit de *debito* reddendo, atque obligationem repetit ex eo quod coniuges habent *potestatem* in corpus compartis; tum ex can. 1111; tum ex natura matrimonii, quod est contractus onerosus. Obligatio autem ex can. cit., *inde ab initio* matrimonii exsistit, ideoque abrogatum est *privilegium bimestre,* ut dicitur, id est privilegium, quo coniux deliberans de ingressu in Religionem stricte dictam, poterat per duos a contracto matrimonio menses debitum negare. Denique notes, coniugem, practice virum teneri ad reddendum debitum, etiam si « uxor tacite (tantum) exigat, puta si ostendat aliquod indicium, quo tacitam petitionem significet: quia in mulieribus, ob innatam earum verecundiam, talia signa habentur pro vera petitione » (S. Alf. VI, 928; S. Thom. Suppl. q. 64, a. 2).

2. *Gravitas obligationis.* Obligatio reddendi debitum, passim *gravis* est, quia agitur de actu seu de re gravi. Excipe 1° quum compars *minus instanter* petit, v. g. si petit remisse, vel rogatus, ut a petitione desistat, facile consentit; 2° si saepe petenti raro, v. g. semel in mense, negatur; id enim, spectata frequentia, non videtur grave. Praeterea dilatio brevis, v. g. a die ad noctem, a gravi et facile a levi quoque excusatur. Attamen si compars in casibus exceptis ex denegatione in periculum incontinentiae coniceretur, haberetur obligatio gravis *charitatis* (S. Alf. VI, 940).

Coroll. Graviter peccant: 1° *Uxores,* quae magnam in redditione morositatem ostendunt, vel debitum non concedunt nisi coactae, vel viro petitiones contumeliose exprobrant; 2° *viri,* qui sive ut prolem evitent, sive ex amore erga alias concepto, uxorem nunquam vel fere nunquam cognoscunt, quamvis praesumere debeant, ipsas id aegre ferre.

3. *Causae excusantes ab obligatione sunt:*

a) *Cessatio iuris exigendi debitum,* scilicet per spontaneam renuntiationem coniugum. Renuntiatio fieri potest explicite vel implicite, ab utraque vel ab una tantum parte. Praesumitur facta implicite, si ambo coniuges mutuo consensu votum castitatis emittunt; attamen ex se non repugnat, voventes ius in copulam retinere (S. Alf. II, 61 et VI, 944, 948).

---

[1]. 1 Cor. VII, 3, 4.

b) *Privatio iuris exigendi debitum,* nimirum per adulterium, sodomiam, concubitum innaturalem cum persona diversi sexus, bestialitatem; secundum illud: Frangenti fidem fides frangatur eidem. Excusatur autem coniux innocens, donec ipsa crimen condonaverit vel simile crimen patraverit (S. Alf. VI, 945, 960, 966; S. Thom. In 4, dist. 35, qu. unic, a. 1. corp.; Suppl. 962, a. 1; can. 1129, 1130).

c) *Defectus rationis in petente,* ut si petitur copula a perfecte amenti vel plane ebrio. Ratio est, quia eiusmodi petitio non est actus humanus. Accedit periculum, ne proles animo et corpore vitiosa nascatur[1] (S. Alf. VI, 948). Neque obligatio est debiti reddendi, si perfecte amens vel plane ebrius in periculo incontinentiae versetur, quia actus materialiter malus ob damnum prolis timendum permitti potest. — Semi-amenti et semi-ebrio, item amenti, qui lucidum habet intervallum debitum per se reddendum est (S. Alf. l. c.). Ceterum ob damnum timendum generatim et per se suadendum, ut copula cum ebrio vel amente evitetur.

d) *Grave incommodum timendum sive petenti sive reddenti sive proli iam conceptae.* Ratio est, quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione (S. Alf. VI, 950, 952; cfr. S. Thom. Suppl. q. 64, a. 1).

Plura incommoda gravia (ut mors, infectio notabiliter noxia, aliusve morbus vel huius notabile incrementum) non solum a debito reddendo excusant, verum etiam redditionem illicitam reddunt, nisi causa gravis (v. g. periculum incontinentiae proprium vel compartis, grave dissidium vitandum) adsit (S. Alf. l. c.); attamen causa gravis non reddit copulam licitam, si mors proxime ex ea secutura est (n. 93).

Alia incommoda, ut dolores valde acuti sive in copula sive in partu, ingens defatigatio possunt quidem a debiti redditione excusare, sed illam ut patet per se non prohibent.

Denique si v. g. vir per diem uxorem vere vexavit et vespere petit, ipsa psychologica difficultas uxorem excusare videtur, nisi vir aut explicite aut implicite, puta modo petendi, aliquam satisfactionem ipsi praebuerit.

---

[1]. Capellmann-Bergmann, o. c. p. 328; Von Olfers (o. c. p. 69) censet, periculum abesse, si copula habeatur *cum actualiter tantum,* non habitualiter ebrioso; cui tamen alii contradicunt.

Dictum est, « excusare a copula grave incommodum timendum proli *iam conceptae* ». Nam incommodum prolis *concipiendae* passim a debito reddendo non excusat, quia proli semper melius est sic esse quam non esse (S. Thom. Suppl. q. 64, art. 1, ad 4; S. Alf. VI, 951). Si tamen mulier experta est, se filios mortuos parere, excusatur a debito reddendo, si iudicio medici iure timeatur, ne mors foetus in utero ipsam matrem gravi periculo exponat (S. Alf. VI, 953).

Nota. Ad grave incommodum etiam refertur *petitio immoderata* sive *absolute,* ut si quis habitualiter uno alterove coitu quotidie contentus esse non solet, vel v. g. quater in nocte peteret; sive *relative* ad debilitatem corporis, puta ob phtisim incipientem aliamve infirmitatem chronicam (S. Alf. VI, 940).

Quaer. 1°, num a debito reddendo excuset timor numerosioris 98
prolis, cui satis provideri nequeat.

Resp. I. *Si malum culpa viri imminet,* affirmandum videtur, « quia non cogeris ius suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum » (S. Alf. IV, 999). Atqui in casu proposito vir renuit uxori reddere concursum ad educationem corporalem, vi matrimonii et copulae habitae uxori debitum. Ergo uxor non tenetur viro ius suum reddere, donec ille sese emendaverit. Argumentum confirmatur vel etiam hac ratione proponitur: Frangenti fidem fides frangatur eidem. Iam vero cum educatio prolis sit una cum eiusdem procreatione finis primarius matrimonii (can. 1013, § 1), concursus ad educationem prolis corporalem, aeque ac concursus ad procreationem eius, videtur pertinere ad fidem matrimonialem uxori debitam; quae fides in posita hypothesi a viro frangitur. Ergo,

Resp. II. *Si sine culpa viri malum imminet,* disputatur. Alii censent, uxorem excusari, modo absit incontinentiae periculum. Ratio allegatur, quia in omnibus debitis magnum incommodum excusat a solutione. Alii negant, quia incommodum, de quo dicimus, est debito coniugali intrinsecum. Ceterum quia practice vix aberit incontinentiae periculum — agitur enim de continuo negando debito; secus enim finis denegationis non obtineretur — practice debitum denegari nequit (S. Alf. VI, 941).

Quaer. 2°, num a debito excusetur coniux, si compars pro- 99
hibeat, quominus proles catholice educetur.

Resp. Affirmandum videtur, quia, ut supra diximus, non cogeris ius suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum. Atqui in casu compars obstat iuri compartis prolem catholice educandi. Ergo. Idque valet, sive coniux promiserit sive non promiserit educationem catholicam.

e) *Petitio peccaminosa* excusat prout sequitur:

1° Si petitio peccaminosa est, *quia petitur actus in adiunctis, quae illum illicitum reddunt,* seu res illicita, v. g. copula sodomitica vel coram aliis peragenda, compars non solum excusatur a debito reddendo, verum etiam illud reddere vetatur. Ratio est, quia nemo gaudet iure petendi rem illicitam. Si tamen malitia actus seu rei illicitae venialis tantum est, puta si sine iusta causa petitur copula a tergo peragenda, facile adest ratio, quae redditionem licitam — non tamen obligatoriam — reddit (S. Alf. 943, 946).

2° Si petitio peccaminosa est, *quia petens impedimento, puta voto tenetur, licet* reddere debitum. Ratio est, quia impedimentum, quod unam partem tenet, alteram non privat iure habendae copulae. Disputatur, num in casu sit *obligatio* debiti reddendi. Jam vero affirmandam videtur, quia copula in casu, utut illicite, *iure* tamen petitur, ideoque petitioni satisfaciendum est, « prout si quis votum emitteret non exigendi a te pecuniam debitam, si ille postea petit, teneris tu reddere, quia per votum creditor non amisit ius suum » (S. Alf. VI, 944). Ceterum quando « coniux praevidet quod alter impeditus voto vel alio impedimento illicite petet; tunc tutius erit ut ipse praeveniat, et si ille iam petierit, ipse tunc etiam petat, dicens: *volo ut tu mihi reddas.* Sed ad hoc merito ait SANCHEZ uxores raro obligari; quia magnum onus esset eis, ob naturalem mulierum verecundiam, teneri ad semper petendum » (S. Alf. l. c.).

3° Si petitio peccaminosa est *ob modum petendi,* puta si fiat ob solam delectationem, copula concedi debet, quia iure, quin etiam, si petens velit, licite petitur (S. Alf. VI, 946).

100 III. *Consectaria obligationis expositae.* Ex obligatione reddendi immo aliquando petendi debitum sequuntur:

a) *Obligatio cohabitandi*[1]. Porro viri, utpote qui caput sit so-

[1]. Cfr. Gen. II, 24; c. 1 *de coniug. lepros.,* IV, 8; can. 1128; Cod. Civ. art. 161, 162.

cietatis coniugalis, est eligere domicilium. Ceterum obligatio cohabitandi essentialiter *mutua* est. Hinc unus ab altero diutius abesse nequit sine necessitate aut compartis consensu. Vir autem, qui diu abesse debet, tenetur uxorem secum ducere, si haec illud desideret et commode fieri possit; uxor autem debet sequi virum, si hic illud exigat, nisi tamen gravis ratio excuset (S. Alf. VI, 939).

b) *Obligatio utendi saltem eodem thalamo* seu cubiculo; scilicet non debet urgeri ius et obligatio utendi *eodem toro* seu lecto, modo in eodem thalamo pernoctent atque pro libitu convenire queant. Praeterea *obligationi* satisfieri videtur, si prout in aliquibus familiis in usu est, uxor et maritus habent quidem distinctum torum et cubiculum, sed cubiculum est contiguum, et cuique in alterius cubiculum et torum liber et facilis patet accessus, licet hic usus valde dissuadendus sit[1].

c) *Obligatio ne se reddant impotentes ad debitum.* Coniux mediis illicitis se impotentem reddens ad debitum coniugale lethaliter peccat; quia lex iustitiae obligans ad redditionem debiti, etiam vetat, ne quis mediis illicitis reddat se impotentem. Hinc vir, qui sive crebris pollutionibus, sive accessu ad alias feminas, reddit se impotentem (vel notabiliter minus aptum) ad persolvendum debitum, ultra peccatum pollutionis (adulterae) aut adulterii, videtur committere novam culpam contra legem iustitiae. Immo graviter peccare possit coniux qui, operibus de se quidem licitis sed indiscretis et minime necessariis, ut nimiis macerationibus, vigiliis, laboribus redderet se notabiliter minus idoneum[2] (S. Alf. VI, 942).

Nota. Vasectomia (n. 87), oophorectomia (n. 86) et ovariorum excisio, eo fine admissae, ut prolis procreatio praepediatur, graviter illicitae sunt, tum quia continent mutilationem, quae non est necessaria ad conservationem totius; tum quia eo fine factae directe opponuntur bono speciei; praeterea si sine consensu compartis fiunt, illius iuri adversantur.

---

[1]. Cfr. GASPARRI, Tract. Can. de Matrim., n. 1077.
[2]. Cfr. *Theol. Mechl.* de Spons. et Matrim.[5] n. 43, q. 10.

SECTIO II.

De accessoriis ad copulam.

Accessoria ad copulam maxime sunt: Tactus, oscula, amplexus et aspectus tam pudici quam minus pudici et impudici, tam cum commotione venerea quam sine ea facti. Actus autem accessorii sunt aut mutui aut solitarii.

101 I. **Actus mutui** ita diudicandi:

1. *Si referuntur ad copulam* i. e. si fiunt cum intentione copulae peragendae — sive absoluta, sive conditionata, scilicet si periculum pollutionis urgeat — liciti sunt; idque valet, etiamsi actus valde impudici sint. Ratio est « quia cui licitus est finis, etiam licent media; et cui licet consummatio, etiam licet inchoatio. Unde licite talibus naturam excitant ad copulam » (S. Alf. VI, 932). Periculum pollutionis quidem per se evitari debet; verum si actus referuntur ad copulam, periculum passim aberit, nisi quosdam actus excipias, qui eiusmodi sunt, ut pollutio vix tempestive averti possit. Talis est v. g. inchoata copula, a qua coniuges ante seminationem desistunt. Eiusmodi actus igitur vix a gravi peccato immunes sunt, nisi relate ad eos, qui experientia noverint, grave periculum pollutionis abesse. (S. Alf. VI, 934). De immissione membri virilis in os uxoris vide n. 107.

2. *Si non referuntur ad copulam,* liciti sunt modo absit pollutionis periculum. Ratio, quia quibus permittitur copula i. e. actus mutuus perfectus, iis etiam liciti sunt actus, qui natura sua ordinantur ad copulam i. e. ad actum mutuum perfectum; cuiusmodi sunt actus mutui incompleti. Atque id valet, etiamsi ipsa copula coniugibus esset vetita ob morbum, vel impossibilis ob impotentiam, quae supervenisset; secus vero si coniux esset ligatus voto castitatis (S. Alf. VI, 933; n. 85). Si grave in alterutro coniugum adsit pollutionis periculum, per se graviter illiciti sunt; liciti fiunt, si causa proportionata pollutionis periculi permittendi adest[1]. Quo magis autem actus in pollutionem influit, eo gravior causa requiritur. Amor mutuus fovendus cohonestat actus etiam

[1]. Ut patet, non licet consentire in pollutionem secuturam; at plures coniuges ignorant malitiam consensus in pollutionem praeter intentionem secutam; nec passim expedit eos de ista malitia monere.

minus pudicos, immo generatim seria petitio compartis est causa sufficiens admittendi etiam turpiora, nisi quasi-inchoata pollutio sint, i. e. talia, ut pollutio vix averti possit, secundum dicta sub 1 (S. Alf. VI, 934).

Nota. Quae dicta sunt de obligatione petendi et reddendi *copulam,* ea etiam actibus *accessoriis* mutuis applicentur, servatis tamen supra expositis, secluso praesertim pollutionis periculo.

II. **Actus solitarii externi** utique graviter illiciti sunt, si grave 102
secumferunt pollutionis periculum; si illud periculum non inducunt, sed tamen cum commotione venerea ponuntur, ita dicendum:

1. *Si referuntur ad copulam nunc habendam,* liciti sunt, ut dictum est de actibus mutuis ad copulam relatis (n. 101).

2. *Si non referuntur ad copulam,* disputatur. Alii censent, dictos actus in se non esse illicitos, quia commotio venerea in coniugibus semper natura sua ordinem habet ad copulam coniugalem. Alii eiusmodi actus pro graviter illicitis habent; *primum* quidem, quia coniux per se non habet ius in usum proprii corporis, sed tantum per accidens quatenus usum eius refert ad copulam, i. e. ad usum corporis compartis, secundum haec Apostoli: « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier »[1]. *Deinde,* inquiunt, actus solitarii incompleti ex se ad actum solitarium completum i. e. ad pollutionem ordinari videntur. *S. Alfonsus* (VI, 936) severiorem sententiam *suadendam* esse dicit; idque quoque fiat ab eis, qui sententiae benigniori adhaerent, quia raro omne pollutionis periculum aberit.

III. **Actus interni,** si versantur circa actum coniugibus illi- 103
citum — ut *delectatio morosa* de copula cum tertio — manifeste peccaminosi sunt, prout in appendice (n. 120) uberius exponitur. Si versantur circa actum coniugibus licitum — ut *delectatio morosa* de copula cum comparte, *gaudium* de copula cum ea habita, *propositum* copulae cum ea habendae — pariter illiciti sunt, si grave secum ferunt pollutionis periculum. Si illud peri-

[1]. 1. Cor. VII, 4.

culum non inducunt, etiamsi cum commotione venerea exerceantur, satis probabiliter aequiperantur actibus mutuis, de quibus sub I dictum est, a. v. liciti sunt (S. Alf. V, 25[1]; n. 118 et 121).

Coroll. Per se non peccat coniux, qui ad copulam sese excitat aspiciendo vel sibi repraesentando sive imagines turpes, sive personam v. g. pulchram a comparte distinctam, modo ne cum complacentia animo revolvat actum, qui sibi respectu istius personae illicitus sit.

PARS II.

De actibus illicitis coniugum.

Maxime notari debent:

104 I. **Pollutio;** quae in coniugibus quodammodo rationem *adulterii* induit, quatenus involvit usum proprii corporis sicque laedit tam ius compartis in illud, quam sanctitatem sacramenti, quod iura et officia coniugum confirmat.

105 II. **Actus cum tertio** patrati constituunt adulterium (n. 35), eiusve rationem induunt, ut expositum est (n. 71).

106 III. **Foecundatio artificialis,** quae consistit in eo quod medicus semen, a viro solitarie vel onanistice effusum, vasculo excipit atque ope syphunculi genitalibus mulieris infundit. Hanc agendi rationem graviter malam esse, patet ex eo quod fecundatio obtinetur, mediante seu praehabita *pollutione* vel *peccato onanismi.* Accedit declaratio S. Off. 24 Mart. 1897[2]. Secus satis probabiliter dicendum de fecundatione artificiali *improprie dicta,* quae in eo sita est quod medicus semen, per copulam in femineum vas infusum ope syphunculi haurit atque deinde profundius in organum muliebre immittit. Ex una enim parte copula rite instituitur, arte autem iuvatur, ut finem scilicet fecundationem attingat, ex altera autem parte non patet, semen per medici

---

[1]. Cfr. tamen S. Alf. VI, 937 et Hom. Ap. tr. 18, n. 42; qui loci difficultatem facessunt, nisi dicamus, S. Doctorem ibidem loqui de delectatione venerea graviori, quae semper pollutionis periculum inducat.

[2]. Ad dubium: « An adhiberi possit artificialis mulieris fecundatio »; respondit: « Non licere ».

actum, qui ulteriori seminis in organum muliebre immissione completur, ordinatione sua in finem privari vel, durante actione, dicta ordinatione formaliter privatum fuisse .

Coroll. Pariter ob gravem causam licitum videtur semen ex epididymo mariti exhaurire atque uxoris vaginae infundere. Dixi *ob gravem causam,* quia ordo naturalis exigit, ut proles per copulam procreetur. Illicitum vero est semen viri alieni ita assumere, etiamsi maritus atque dicti viri uxor consentiant, quia in eiusmodi procreatione, utpote profecta a personis matrimonii vinculo non ligatis, educationi prolis non foret satis provisum (n. 33)[1].

IV. **Copula in uxoris vase indebito** dicitur *sodomia imperfecta,* 107
si in vase praepostero (n. 57), *irrumatio,* si in ore (n. 57); quae peccata inter se videntur non differre (n. 57).

Quaer., num habeatur *sodomia imperfecta* vel *irrumatio,* si copula in vase indebito inchoetur, cum animo eam perficiendi in vase debito. Plures negant, et consequenter censent, in casu neque peccatum grave haberi. *S. Alfonsus* vero cum aliis affirmat, quia animus consummandi copulam in vase debito non impedit, quominus habeatur commixtio perversa (de qua diximus, n. 57) *inchoata,* utut non consummanda (VI, 935). Dixi tamen *in* vase indebito, quia aliter resolvendum, si vir solummodo in superficie vasis praeposteri vel oris (clausi) membrum virile fricaret, quia non habetur commixtio (n. 57); potest tamen accedere affectus ad sodomiam improprie dictam vel ad irrumationem. Concubitus in parte corporis coniugis, distincta ab ano et ore, pertinet ad pollutionem.

V. **Onanismus**[2]; qui uberius pertractari debet. 108

1. *Notio et divisio.* Onanismus[3] duplex est, *nativus* et *artificialis. Nativus* consistit in eo quod copula rite incepta sine legitima ratione ita abrumpitur, ut semen extra vas effundatur. Dixi *sine legitima ratione;* siquidem ob gravem rationem copula abrumpi potest, etiamsi seminis effusio extra vas inde sequatur,

---

[1]. Cfr. VERMEERSCH, De castitate, n. 241.
[2]. FORSTMANN-AUSEMS, Het Neomalthusianismus.
[3]. Medici saepius nomine *onanismi* designant,, quod a theologis dicitus *masturbatio.*

v. g. ut scandalum vitetur vel quia copula ob dolorem continuari nequit; in eiusmodi adiunctis seminis perditio potest permitti (S. Alf. VI, 918). *Artificialis* (modernus)[1] situs est in usu medii seu instrumenti praeservativi, quo fit, ut semen vaginam non contingat. Dicitur *palliolus anglicus,* estque tenuis membrana, qua membrum virile induitur, quaque semen excipitur et post copulam retrahitur. Ad onanismum referri solent: 1° Usus sive pessarii occlusivi, i. e. instrumenti, quod vaginae intromittitur prope os uteri, ita ut seminis e vagina ad uterum ascensio impediatur; sive spongiae, quae pariter in vaginam usque ad uteri ostium introducitur; 2° usus pulveris cuiusdam, qui ante copulam in vaginam insufflatur atque semen substantialiter corrumpit; 3° usus medicamenti, quod os uteri madefacit illudque ita stringit et claudit, ut semen in uterum ingredi nequeat; 4° usus siphonis seu irrigatorii, quo semen post copulam e vagina eluitur.

109 2. *Moralitas.* a) Onanismus tam naturalis quam artificialis intrinsece et graviter malus est, nec ulla unquam ratione licitus evadere potest.

Intrinsece malus est, quia involvit usum seminis, qui caret ordinatione ad finem naturalem seminis, i. e. ad bonum speciei (n. 19).

Graviter malus est, quia involvit usum seminis, qui nec aptus est ad generandum nec ordinatur ad generandi educationem; quae privationes graves sunt (n. 28).

Nec ulla ratione licitus evadere potest; id enim fieri nequit nisi sit finis intermedius, cui bonum speciei humanae subordinatur, ita ut illum finem intermedium, bono speciei neglecto, sectari liceat. Atqui talis finis intermedius non exsistit, cum bonum speciei humanae immediate ordinetur ad finem ultimum, qui est Deus (n. 29). Accedunt responsa S. Off., quae onanismum « iure naturali prohibitum » (21 Maii, 1851) et « intrinsece malum » (19 April. 1853) declarant. Adde gravissima mala, quae ex onanismo tam coniugibus quam proli et societati immi-

---

[1]. Onanismus artificialis saepe *Neo-malthusianismus* dicitur; scil. Malthus, natione Anglus, in libro « Essay on the principles of population » ad minuendum prolium numerum suasit nuptiarum libertatem restringendam. Neo-malthusiani autem ulterius progressi sunt atque media ad frustrandam foecundationem excogitarunt.

nent[1]. Ceterum onanismus etiam illicitus est casu, quo specie tenus alicui societati prodest, nimirum quia in aliqua regione non solet enasci nisi proles infirma et misera. Nam primum quidem non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Deinde proli semper melius est sic esse quam non esse (n. 97).

Patet autem, non solum virum onanistam graviter peccare, verum etiam uxorem, quae viri agendi rationem desiderat, approbat, suadet vel quae alio modo, puta conquerendo de numerosiore prole efficit, ut vir onanismum committat.

b) Pariter omnes istae agendi rationes, quas ad onanismum referri diximus (n. 108) graviter malae sunt, quia omnes directe efficiendo, ut semen emissum finem suum attingere nequeat, bonum speciei directe impediunt (n. 44). Accedit quod usus pessarii sive spongiae efficere videtur, ut copula non sit ad generationem apta, ut mox uberius exponemus (n. 110).

---

[1]. « *Ipsi coniuges* saepe ex eo multa mala patiuntur; sicut enim filii sunt commune bonum et commune vinculum quo firmius et arctius coniuges connectuntur, ita ex adverso qui prole carent, multo facilius dissentiunt et ab invicem separantur. Nec dicatur, ad hunc finem attingendum unum vel alterum filium sufficere; nam quo numerosior proles, eo firmior coniugum unio; aliunde haud raro onanistae puniuntur praematura morte unius vel alterius filii quem genuerant; hinc saepe parentes filii unici angoribus et timoribus premuntur, ne forte hic e vivis rapiatur et familiae nomen deleatur. — Praeterea copula maritalis quae, legitime peracta, remedium est concupiscentiae, eam non sedat sed incendit quando onanistice perficitur; femina praesertim non complete delectatur, nec quiescit nisi cum uterus virili semine eius ardorem temperante irrigatur. — Hinc etiam uno ore conclamant medici, onanistas multis morbis obnoxios esse, qui praesertim ex nervorum excitatione oriuntur; commotio enim, quam concubitus causat, non sedatur nisi virilis spermatis naturali effusione ac susceptione.

Proles etiam haud raro ex onanismo parentum aliquod detrimentum patitur, quod ita describit Concil. *Pictaviense* (1868): Saepe saepius accidit ut filius ille indulgentius educetur, aut Deo iubente vitam breviter finiat, aut, aetate deterior factus, dulci fratrum sororumque amore ac praesidio destitutus, seipsum amans, parentibus non obediens, elatus, ingratus, sine affectione, familiam suam ignominia moeroreque afficiat.

Nec minus *societati* nocet onanismus. Si quidem praecipuum societatis robur ac praesidium in numero ac virili civium educatione situm est; iamvero onanismus, generationem impediendo, civium numerum minuit, ita ut nationes olim florentes paulatim deficiant; obstat pariter virili puerorum educationi: ubi enim unicus est filius, generatim indulgentius educatur, voluptati potius quam officio addicitur, ac saepe patriae omnino inutilis evadit » (TANQUEREY, Suppl. ad tr. de Matrim. n. 41-43; cfr. ESCHBACH, Disputationes phisiologico-theologicae[2], p. 569; FORSTMANN-AUSEMS, Het Neomalthusianismus).

110 *Quaer.* 1°, num vir possit peragere copulam: 1° si uxor utatur pessario occlusivo vel spongia, eaque auferre renuat; 2° si uxor usa sit pulvere, qui in vaginam insufflatus semen substantialiter corrumpat, atque ab eo abstinere recuset; 3° si uxor medicamentis os uteri strinxerit, eaque amovere renuat.

Resp. Vir praedicta utique vetare eisque, quoad fieri possit, obstare tenetur. Si vero oleum et operam perdiderit, ita dicendum:

Ad I. Negandum videtur, quia ad copulam rectam requiritur effusio seminis in vaginam, quae non est substantialiter vitiata. Atqui vagina, quae est membrum carneum *cum foramine usque ad uterum* seu instar canalis progredientis usque ad uterum, videtur, quamvis physice integra remaneat, per occlusionem moraliter loquendo substantialiter vitiari. Quod generaliter dictum confirmatur eo quod ex declarationibus S. C. C.[1] deducendum videtur, vaginam naturaliter occlusam substantialiter vitiatam esse. Fateor tamen, hanc confirmationem non posse *certo* urgeri, quia in nostro casu de occlusione *artificiali,* quae vaginam physice integram relinquit, sermo est[2].

Ad II. Satis probabiliter *affirmatur*, quia vagina per pulverem immissum non vitiatur substantialiter, sed accidentaliter tantum, fere ac vagina feminae, quae semen recipere, sed illud, retinere nequit (n. 86).

---

1. Responsa dictae S. C. C. *in Salernitana* 21 Mart. 1863, *in Verulana* 24 Ian. et 22 Iun. 1871, *in Monasteriensi* 16 Dec. 1899, *nullum* declarant matrimonium mulieris, quae utero carebat et vaginam habebat brevem et prope uterum occlusam. Porro carentia uteri et brevitas vaginae non obstant potentiae (n. 86); relinquitur igitur, ut obstet occlusio vaginae.

2. Ita quoque, mutata sententia, docet VERMEERSCH (Periodica de re canonica et morali, 1926, p. 65). Episcopi Germaniae ita dicunt: « Weiss der Ehemann dass die Frau selbst usu instrumentorum vel mediorum in vas muliebre insertorum die Konzeption vereiteln will, so hat er sie ganz entschieden davon abzuhalten, und, wenn möglich, etwaige Instrumente zu entfernen und zu vernichten. Gelingt ihm dies nicht, bezw. hat er die Bewendung chemischer Präparate trotz besten Willens nicht hindren können, so wird man von ihm nicht verlangen können, dass er immer Enthaltsamkeit übt. Vielmehr wird ihm der eheliche Akt zu gestatten sein ex gravi causa quoties sibi grave est carere actu coniugali vel si ipse esset in periculo incontinentiae. Voraussetzung ist aber dass er den actus coniugalis mit Mass und geordneter Weise verlangt und richtig zu vollziehen beabsichtigt, der Frau nicht zustimmt und diese von ihrem verbrecherischen Tun nicht bloss abmahnt, sondern so gut als möglich abzuhalten sucht » (Instructio pro confessariis de usu et abusu matrimonii, § 5). Ex hisce VERMEERSCH (l. c.) deducit, dictos Episcopos benigniori sententiae adhae-

Ad III. Affirmandum, quia ipsa vagina per dictum medicamentum non vitiatur. Quod os uteri stringitur, id non impedit quominus copula de se apta habeatur, ut patet ex eo quod copula licita est praegnantibus, quae os uteri occlusum habent (n. 90).

Quaer. 2°, quid possit vel debeat facere uxor viri onanistae. 111

Resp. Tenetur ex pietate virum monere, ut copulam recte instituat, si adest spes fructus et monitio fieri potest sine periculo gravis incommodi, puta gravis dissidii [1]. Attamen in hisce casibus, « erga ipsam severitati propendendum potius quam laxitati, ne ad hoc deveniatur, quod viris a Sacramentis reiectis, subtili distinctione mulieres onanismo indulgentes passim admittantur » [2]. Quibus praemissis, ita dicendum:

I. *Si vir onanismum nativum commissurus est,* uxor:

1. *Non tenetur reddere debitum.* Alii quidem censent, uxorem ad illud teneri, quia vir iure debitum petit; sed non satis patet, uxorem teneri ad concedendam copulam i. e. actum mutuum, quem a viro elemento essentiali et debito destitutum iri, praevidet.

2. *Potest reddere debitum,* saltem ob gravem causam. Ratio est, quia uxor a parte sua dat operam rei licitae, nempe copulae quatenus recte incipitur, non quatenus abrumpitur; ex altera autem parte non tenetur cum gravi incommodo peccatum viri impedire. Accedunt responsa S. Poenitent. [3]. Immo practice ne

---

rere. Ad ea autem notat *Zeitschrift für kathol. Theologie:* « Muss die Instructio notwendig in diesem Sinne gedeutet werden? Im ersten Satz des § 5 is die Rede vom usus instrumentorum vel mediorum (chemicorum); sei es also ein mechanischer Verschluss oder nur ein chemiches Mittel, muss der Mann die Entfernung verlangen; aber im zweiten Satz, wo dem Mann *ex gravi causa* doch der Verkehr erlaubt wird, wenn die Frau nicht gehorcht, ist nicht mehr die Rede von instrumenta (Pessar) sondern nur noch von *media chemica,* die die vagina im natürlichen Zusammenhang mit dem uterus lassen » (1927, S. 311).

[1]. S. Poenitent. 15 Nov. 1816; 1 Febr. 1823.

[2]. Instructio Epm. Belgiae, 2 Iun. 1909.

[3]. S. Poenitent. d. 15 Nov. 1816 respondit: « Probati castigatique morales theologi in hoc consentiunt, ut... liceat uxori debitum reddere (scil. viro onanistice petenti), si ex eius denegatione male habenda sit a viro et grave inde incommodum sibi timere possit; neque enim in hoc casu, aiunt, censetur uxor viri sui peccato formaliter cooperari: sed illud tantummodo ex iusta et rationabili causa permittere. Moneat tamen orator huiusmodi uxorem, ut non cesset prudenter commonere virum suum, ut ab hac turpitudine desistat ». Eadem S. Poenitent. d. 1 Febr. 1823 ad quaesitum: « Bertha virum habet, quem constanti experientia cognoscit onanistam. In vanum omnia tentavit media ut

gravis causa quidem requiritur; quod vel eruitur ex eo quod uxor, spectato iure viri, aeque probabiliter *tenetur* reddere illud (S. Alf. VI, 947).

3. *Potest ob gravem causam petere debitum;* quia petit, ut supponitur, copulam rectam nec tenetur peccatum viri cum gravi incommodo impedire. Requiri causam gravem, deducitur ex eo quod, viro ius suum non urgente, cooperatur peccato viri, quod ex pietate praecavere tenetur. (S. Alf. l. c.). Gravem causam habet uxor, « si ipsa esset in periculo incontinentiae; vel si deberet alias privari suo iure petendi plusquam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo an ei sit satis grave incommodum vel ne tunc se possit continere » (S. Alf. VI, 947).

II. *Si vir, adhibito palliolo anglico, coiturus est,* uxor debitum neque petere neque reddere potest, sed tenetur resistere instar feminae oppressae. Itaque solummodo ob gravissimam causam, scil. ob timorem mortis vel mali huic aequiperandi ipsi liceret non resistere oppressori. Ratio est, quia in casu actus inde ab initio totaliter vitiosus est. Ita quoque responsa S. Off.[1] et S. Poenitentiariae[2].

---

illum a tam nefando crimine retraheret: Quinimmo gravissima aut saltem gravia mala ei imminent nunc probabiliter, ita ut vel haec mala incurrere debeat vel fugere e domo mariti, nisi permittat aliquando abusum matrimonii »; ad dictum quaesitum, inquam, respondit: « Cum in proposito casu mulier a sua quidem parte nihil contra naturam agat detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui loco consummandi retrahit se et extra vas effundit: ideoque si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet minando verbera aut mortem aut alia gravissima mala, poterit ipsa (ut probati theologi docent) citra peccatum permissive se habere, cum in his rerum adiunctis ipsa viri peccatum simpliciter permittat idque ex gravi causa, quae eam excusat, quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat ». Denique d. 3 April. 1916 S. Poenitent. edixit: « Si maritus in usu coniugii committere velit crimen Onan, effundendo scilicet semen extra vas post inceptam copulam, idemque minetur uxori aut mortem aut graves molestias, nisi perversae eius voluntati sese accommodet, — uxor, ex probatorum theologorum sententia, licite potest, hoc in casu, sic cum marito suo coire: quippe cum ipsa ex parte sua det operam rei et actioni licitae, peccatum autem mariti permittat ex gravi causa, quae eam excusat; quoniam caritas qua illud impedire teneretur cum tanto incommodo non obligat ».

[1]. 21 Maii, 1851; 19 April. 1853.

[2]. *S. Poenit.* d. 3 Iun. 1916 haec rescripsit:

1. Utrum mulier, casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, ad positivam resistentiam teneatur?

2. Si negative, utrum sufficiant, ad resistentiam passivam, ex parte mulieris cohonestandam, rationes aeque graves ac pro onanismo

Coroll. Quoties uxor licite petit vel reddit debitum, licite etiam sese excitat atque in delectationem actui suo annexam consentit.

3. *Remedia contra onanismum*[1]. a) Praeprimis significetur, **112** onanismum esse gravissimum peccatum, quippe quod fini primario matrimonii et actus coniugalis adversetur.

b) Prudenter exponantur effectus onanismi, qui haud ita raro a Deo in prole nata punitur, atque praeterea sanitati facile nocet, maxime systema nerveum debilitando (n. 109).

c) Si ratio onanismi est difficultas alendi et educandi prolem numerosiorem, fiducia Dei excitetur. Provocandum insuper ad factum quotidiana experientia confirmatum: numerosas familias generatim loquendo aliis esse feliciores; in illis enim naturales energiae membrorum splendide exseruntur; in illis regnat maior unio et virilis amor.

d) Si mors ex novo partu timeatur, generatim dici potest, periculum ab aliquibus medicis facile exaggerari; praeterea artem medicam ita profecisse, ut periculum passim iam possit averti.

e) Denique prudenter insinuari possunt, quae n. 117 dicturi sumus de tempore fecundationi minus apto.

4. *Modus tractandi onanistas*[2], quamvis secundum regulas **113** generales fieri debeat, ob momentum rei — agitur enim de crimine valde nocivo atque latissime grassante — speciatim assignari solet.

a) Quoad *interrogationem* peragendam, confessarius regulariter poenitentes prudenter interroget[3], si fundata adsit suspicio,

---

naturali (sine instrumento), vel potius omnino necessariae sint rationes praegravissimae?

3. Utrum, ut tutiori tramite tota haec materia evolvatur et edoceatur, vir talibus utens instrumentis oppressori vere debeat aequiperari: cui proin mulier eam resistentiam opponere debeat quam virgo invasori.

Responsum fuit:

Ad primum: Affirmative.

Ad secundum: Provisum in primo.

Ad tertium: Affirmative.

[1]. Cfr. Instructio Epm. Belgii, 2 Iun. 1909; Ned. Kath. Stemmen, 1909, p. 356.

[2]. Cfr. Instructio Epm. Belgii, 2 Iun. 1909; N. K. Stemmen 1909, p. 359.

[3]. Cfr. S. Off. 21 Maii, 1851; S. Poenitent. d. 10 Mart. 1886 ad quaesitum: « Quando est fundata suspicio, poenitentem qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario liceat a

eos onanismo addictos esse; puta quaerendo, num quid quoad matrimonium conscientiam perturbet; vel etiam clarius, num circa filiorum numerum divinae Voluntati sese submittant.

b) Quoad *monitionem* faciendam haec observes:

α) Confessarius, ut patet, nunquam onanismum positive potest permittere.

β) Qui dubius est, iam bona fide caret; hinc qui confessarium interrogat, gravitatem peccati doceatur.

γ) Bona fide occurrente, poenitens moneatur secundum communes monitionis regulas; i. e. instruatur, si spes fructus adest vel ex silentio bonum commune detrimentum pati potest; in bona fide relinquatur, si spes fructus abest nec ex silentio bonum commune periculo exponitur. Bonum commune exponitur periculo, si timetur, ne silentium confessarii pervulgetur.

Notes tamen, bonam fidem raro occurrere tum quia vitium repugnat inclinationi naturali copulam complendi; tum quia fideles tam libris quam diariis, tam concionibus quam instructionibus contra vitium illud praemonentur. Aliquando tamen, maxime si uxor aegrotat vel e novo partu grave periculum timetur, accidere potest, ut poenitens, facilius quidem uxor, bona fide sit.

c) Quoad *remedia* contra onanismum, poenitenti inculcanda, cfr. dicta sub 3, n. 112.

114 VI. **Copula dimidiata.** 1. Quoad eam *primum* quaeritur, utrum eiusmodi copula sit de se apta ad generationem, a. v. utrum ex ea per se an solum per accidens sequatur conceptio. Si non est de se apta ad generationem, intrinsece mala est; immo ii, qui copulam perfectius peragere nequeunt, impotentia laborant. Iam vero dicta copula nostra sententia de se apta est ad generationem: quod quidem *primum* deducitur ex eo quod copula, quae quoad substantiam sequitur modum a natura indigitatum, de se ad generationem apta censeri debet. Atqui copula dimidiata quoad substantiam modum a natura indigitatum sequi videtur. Nam

---

prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque Sacramenta deserturos esse? An non potius teneatur confessarius prudenter ac discrete interrogare »? Respondit: « Attento vitium nefandum de quo in casu late invaluisse,... *regulariter negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ».

involvit *aliquam* penetrationem vaginae; perfectior autem vel minus perfecta penetratio non videntur differre nisi secundum maius et minus, seu substantialiter inter se similes censentur. *Deinde* — quod iam notavimus — contraria sententia admissa, ii qui perfectius coire nequeunt, impotentes forent; quod nemo hucusque theologus docuit. Sufficit igitur ad actum de se aptum ad generationem, ut quis semen infundat in vaginam, quae non sit substantialiter vitiata[1]. Attamen:

2. Copula dimidiata, utut de se ad generationem apta, tamen per se *illicita* est. Quod *primum* deducendum videtur ex declaratione S. Off. d. d. 23 Nov. 1923. S. Officium ad quaesita II: « An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis ad poenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia praecavenda. III: An carpendus sit confessarius, qui in circumstantiis sub II, copulam dimidiatam poenitenti aliunde notam suadet vel poenitenti interroganti, num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere, absque ulla restrictione seu explicatione »; ad haec quaesita S. Congregatio respondit: « *Ad II et III, affirmative* ». Porro haec declaratio non bene intelligitur, si admittas, copulam dimidiatam per se licitam esse. Accedit auctoritas theologorum; siquidem nullus quoad sciam auctor dictam copulam ab omni culpa immunem declarat. Accedit ratio duplex. *Primum* quidem copula fieri debet eo modo, quem natura ipsa docet. Figura autem et forma, constructio et dimensiones, quas Auctor naturae apparatui genitali tum viri tum mulieris dedit, demonstrant, copulam tunc tantum naturae consonam esse, quando vir membrum ita profunde introduxerit in vaginam uxoris, ut glans seu summitas membri cum apertura, per quam sperma eiaculatur, ad fundum vaginae, ad collum uteri perveniat, et feratur omnino ante uteri orificium, in quod semen

---

[1]. Secundum Dr. BATENBURG (Brief aan Dr. Ausems) copula dimidiata non est de se apta ad generationem; tum quia semen in introitu vaginae infusum, ob superiores vaginae parietes, qui in eiusmodi copula clausi seu potius inter se iuncti remanent, vix ascendere potest; tum quia humor vaginalis, quo in casu posito neospermata involvuntur, facile et brevi ea corrumpit: quibus fit, ut conceptio ex eiusmodi copula multo pluries non sequatur quam sequatur ex ea. At etiam asserta comprobarentur, ea tamen non impedirent, quominus actus, secundum supra exposita, substantialiter positus sit; quo admisso, dicendum, finem per accidens tantum, non autem per se saepius non obtineri.

eiaculatum immediate introire possit[1]. *Deinde* vera deordinatio est eligere modum copulae habendae, qui assecutionem finis, ad quem usus seminis sub gravi ordinari debet, notabiliter minus probabilem reddit. Cum tamen actus de se ad generationem aptus remaneat non *patet,* haberi deordinationem gravem seu substantialem ordinis inversionem.

3. Copulam dimidiatam *excusant* impossibilitas perfectius coeundi, gravis dolor, si perfectius coeatur etc.; non autem numerosior proles, cum hoc incommodum copulae perfectae intrinsecum sit. Hinc S. Off. d. 23 Nov. 1923 iure *negative* respondit ad quaesitum: « An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae, illamque suadere promiscue omnibus poenitentibus, qui timent ne proles numerosior nascatur ».

115 VII. **Depositio seminis extra vaginam** (i. e. ad partem exteriorem vulvae vel, penetrata vulva, ad os vaginae) non est de se apta ad generationem ideoque vera pollutio dici debet. Etenim *primum* cap. 6, tit. 15 *de frig. et malef.* edicit, impotentiae impedimentum haberi, si vir mulieris vaginam penetrare nequeat. *Deinde* actus, qui nullatenus sequitur modum a natura indigitatum, de se ad generationem aptus censeri nequit. Atqui actus, de quo sermo est, modum a natura indigitatum nullatenus sequitur, cum *omnem* vaginae penetrationem excludat. Hinc qui perfectius coire nequeunt, impotentes sunt; et qui de industria ita coeunt, graviter peccant. Id tamen non impedit, quominus qui vaginam penetrare frustra conati sint, quamdiu aliqua spes sit penetrandi, illud denuo conari possint (S. Afl. VI, 954, dub. 2°).

116 VIII. **Actus patratus post copulam.** Dico de *lotionibus vaginalibus*[2], quae quidem ob varias rationes fieri solent, puta ut conceptio impediatur, ut munditiae vel sanitati consulatur. Porro:

1. Lotiones vaginales nequeunt fieri ea intentione, ut conceptio impediatur; id enim idem est ac directe expellere semen ideoque directe impedire bonum speciei (n. 44). Neque licitae sunt, ut munditiae consulatur, si munditia intenta praecise per expulsionem seminis obtinetur; tum quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; tum quia dicta munditiae pri-

---

[1]. Taskin, apud Ned. Kath. Stemmen, 1923, p. 198 sq.
[2]. Cfr. Ned. Kath. Stemmen, 1922, p. 43; R. K. Artsenblad, 1927, Iuni.

vatio copulae intrinseca est. Neque permittuntur, ut munditiae consulatur, casu quo munditia non praecise per expulsionem seminis obtinetur, quia effectus bonus non respondet effectui malo.

2. Extra casus praedictos ita dicendum:

a) Lotiones vaginales fieri possunt eo tempore, quo semen in vagina remanens pro corrupto haberi potest, i. e. post duas a copula horas. Scilicet satis communiter a peritis iam admittitur, omnia spermatozoïda post copulam in vagina remanentia, eo saltem tempore, reagentibus secretionibus vaginalibus, corrupta esse [1].

b) Lotiones ob *gravem* causam fieri possunt ante tempus sub 1 indicatum, immo immediate post copulam. Ita dicendum, spectatis principiis, quae respiciunt actum cum duplici effectu. Casus occurreret v. g. si mulier copulam admittere cogeretur a viro syphilitico vel alio morbo contagioso infecto, et lotio esset medium infectionis periculum propellendi. Haberetur in eo casu actio cum duplici effectu aeque immediate sequenti: unus effectus esset propulsio vel sterilisatio bacillorum, i. e. *spirochetorum,* infectionem producentium, alter propulsio vel sterilisatio seminis [2]. Fac tamen advertas, causam *gravem* etiam requiri, cum periculum perdendi *omnis* seminis cessaverit, i. e. quatuor vel quinque minutis post copulam [3]; siquidem etiam partis seminis perditio in se gravis videtur, excepto satis probabiliter casu, quo partialis seminis perditio contingit occasione actus de se ad generationem ordinati (n. 83). Ceterum dicta de causa gravi, quae lotionem permittat, fere mere theoretica sunt. Nam gravis causa passim e sanitatis motivo petenda. Iam vero lotiones vaginales regulariter nocent sanitati, nedum faveant illi [4]; neque in-

---

[1]. Van Bouwdijk-Bastaanse tamen censet, passim post tres horas adhuc spermatozoïda viventia in vagina reperiri.

[2]. N. K. Stemmen, l. c.

[3]. Ut ex novissimis experimentis constat, iam statim post coitum spermatozoïda ingredi incipiunt collum seu cervicem uteri. Quatuor vel quinque minutis post inventa sunt. Porro, neque in collo uteri atque multo minus in ipso utero per irrigationem illam, quam mulieres per se ipsae sine medico excercere valent, attingi possunt (N. K. Stemmen, l. c.).

[4]. R. K. Artsenblad, 1927, p. 133-147.

fectionem, de qua supra dictum est, avertunt[1]. Accedit quod lotiones casu, quo utiles sunt, a perito fieri debent[2].

117 IX. **Dubia et responsa.** 1. Coniuges licite abstinent a copula eo tempore, quo fecundatio facilior censetur, alio tempore eam peragunt[3]. Porro conceptio minus probabilis est: secundum alios a die 15 post menstrua incepta usque ad paucos (3-4) dies ante ea; secundum alios per solum tempus, quod cessationem menstruorum immediate consequitur, dum hebdomas antecedens menstrua fecundationi propitior esset; secundum alios per hebdomadam, quae sequitur et eam, quae antecedit menstrua. Itaque res ista adeo incerta est, ut vix practicum valorem habeat[4].

2. Uxor non peccat statim post copulam surgendo vel mingendo; quia parietes vaginales, copula finita, statim inter se cohaerent, ita ut semen non expellatur. Peccaret tamen, si ita ageret ea mente, ut semen expelleret (S. Alf. VI, 954).

3. Coniuges, qui in actu copulae seminationem cohibent, non peccant, modo et uterque consentiat et neuter periculo pollutionis exponatur. Ratio est, quia illa penetratio vasis feminei tunc reputatur actus incompletus mutuus vel etiam pars essentialis copulae perfectae; ad quae coniugati ius habent. Dixi *modo uterque consentiat,* quia uterque ius habet ad compartis seminationem. Dixi *modo neuter periculo pollutionis exponatur.* Cum vero illud periculum facile adsit, illud practice permitti nequit, nisi eis, qui ex experientia noverint, pollutionis periculum abesse (S. Alf. VI, 918; n. 101).

4. Peccat graviter maritus, qui sine iusta causa seminationem cohibet, postquam uxor seminaverit vel ad seminandum parata sit. Ratio « quia tunc ipse est *causa,* ut semen uxoris prodigatur » (S. Alf. VI, 918), i. e. fine suo destituatur. Uxor tamen, quae in viri agendi rationem non consentit, potest seminare, cum ex copula inchoata, i. e. ex penetratione vaginae ius in seminationem recipere videatur. — Uxor, quae seminationem cohibet, postquam vir seminaverit, non peccat graviter, excepto casu quo vir non

---

[1]. R. K. Artsenblad, 1927, p. 147-153.
[2]. R. K. Artsenblad, l. c.
[3]. S. Poenitent. 16 Iun. 1880.
[4]. Cfr. CAPELLMANN-BERGMANN, *Pastoralmedizin* , p. 289 sq.; ANTONELLI, Medicina pastoralis, I, n. 114.

consentiat. Cum enim seminatio uxoris non sit ad generationem necessaria, haec cohibens seminationem non est causa quod semen viri prodigitur, i. e. suo fine destituitur.

5. Uxor potest sese excitare ad seminationem immediate *post* copulam rite habitam, quia in casu uxoris seminatio, quae copulae complementum est, satis cum actu viri unitur (S. Alf. VI, 919). Idem ob eamdem rationem dicendum de seminatione uxoris immediate *ante* copulam.

Quaer., num uxor etiam seminare possit immediate ante et **118** immediate post copulam onanistice peragendam vel peractam.

Resp. I. Si agitur de copula onanistice sed modo nativo habenda vel habita, uxor licite sese excitat immediate *ante* copulam habendam. Ex una enim parte per se moraliter idem est seminare immediate ante ac in ipsa penetratione; ex altera parte viro tribuendum est, ut ponimus, quod seminatio uxoris fine suo frustrabitur. Secus dicendum de excitatione immediate *post* copulam peracta, quia hoc casu ipsamet uxor seminationem suam fine suo frustrat. Neque dicas, uxorem vi copulae habitae ius in seminationem recepisse; nequit enim recipere ius in seminationem, cuius frustrandae ipsamet causa erit. Porro si post copulam abruptam seminaret, ipsamet seminationem frustraret. Attamen saepe praestabit uxorem in bona fide relinquere.

Resp. II. Si agitur de copula onanistice et modo artificiali habenda vel habita, uxor nullatenus seminare potest, quia talis copula inde ab initio totaliter vitiosa est (n. 111).

Coroll. Ex expositis sequitur, a theologis quoad licita et illicita coniugibus, iure statui has regulas:

1° Quod est *secundum finem* matrimonii, *licitum* est, ut copula et actus accessorii (sive mutui sive solitarii) ad eam nunc habendam relati.

2° Quod est *contra finem* (primarium) matrimonii, *graviter malum est,* ut pollutio eiusque grave periculum sine causa sufficienti admissum, etc.

3° Quod est *praeter finem,* est aut *leviter prohibitum,* ut situs innaturalis; aut in se *nullatenus prohibitum,* ut actus mutui (et solitarii, ut alii addunt) ad copulam nunc habendam non relati.

APPENDIX I.

DE PECCATIS INTERNIS CONTRA CASTITATEM

(S. Thom. 1. 2, q. 74, a. 8; S. Alf. Theol. Mor. V, 12-28).

Peccata interna distinguuntur tria, *delectatio morosa, desiderium* et *gaudium,* prout voluntas fertur in actum ut sic, abstractione facta ab eius exsecutione praesenti, praeterita vel futura; in actum patrandum vel in actum patratum. Itaque gaudium respicit praeteritum, desiderium vero futurum, delectatio morosa ab utroque abstrahit, quin etiam a praesenti, quia delectatio de actu praesenti cum ipso actu coincidit. Dicemus singillatim de delectatione morosa, deinde de desiderio et gaudio; atque quidem de posterioribus unico tractu, quia iisdem fere regulis reguntur. Delectationem de opere praesenti praetermittimus, quia, ut diximus, cum ipso opere coincidit.

I.

De delectatione morosa.

119 I. **Notio.** *Delectatio morosa*[1] est complacentia voluntatis libera de actu malo obiective sumpto. Dicitur:

1. *Complacentia,* i. e. quies in aliquo obiecto.

2. *Voluntatis,* i. e. appetitus rationalis. Itaque stricte loquendo sermo non est de complacentia appetitus sensitivi, sed de consensu voluntatis in complacentiam appetitus sensitivi. Voluntas scilicet non immediate delectatur de obiecto sensibili, sed mediate i. e. mediante appetitu sensitivo (Cfr. S. Thom. 1. 2, q. 74, a. 6 et 8).

3. *Libera,* i. e. cui voluntas, post advertentiam intellectus ad actus malitiam, assentitur.

4. *De actu malo obiective sumpto,* sine addito. Hinc obiectum delectationis morosae, uti iam insinuavimus, non est actus malus sive *futurus* seu patrandus, sive *praeteritus* seu patratus, sive

[1]. Dicitur *morosa* non a mora temporis, sed a mora seu immoratione voluntatis, quae in instanti locum habere potest.

praesens seu qui hic et nunc patratur; neque obiectum eius est *cogitatio* de actu malo; neque etiam actus malus *cogitatus;* quamvis cogitatio sit conditio, sine qua voluntas in actum malum ferri nequeat seu operatio, qua actus malus voluntati praesentatur. Obiectum delectationis morosae est ipse actus malus *obiective sumptus.* « Alia igitur, inquit *S. Alfonsus,* est delectatio de *opere* malo, ita ut opus malum sit obiectum delectationis, quae semper est mala. Alia est delectatio de *cogitatione* obiecti mali, ita ut non opus malum, sed *ipsa cogitatio* de opere sit per se obiectum delectationis » (V, 17).

II. **Moralitas.** 1. Delectatio morosa de actu, qui castitati ad- 120
versatur, mala est, atque quidem graviter vel leviter mala prout respicit actum graviter vel leviter illicitum. Ratio est, quia, ut ex notione tradita patet, involvit affectum voluntatis ad actum malum. Affectus autem voluntatis ad actum malum malus est, atque quidem graviter vel leviter malus prout respicit actum graviter vel leviter illicitum (S. Thom. 1. 2. q. 74, a. 8; S. Alf. V, 17). « Quod autem, ita *S. Thomas* l. c., aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato hoc contingit ex hoc, quod affectio eius inclinata est in hunc actum; unde quod aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quam quod ipse consentiat in hoc, quod affectus suus sit inclinatus in fornicationem: nullus enim delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui eius. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus suus conformetur his, quae secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale; unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale ».

2. Delectatio morosa speciem sumit:

a) *Ab obiecto, secundum speciem infimam spectato.* Alii illud quidem negant, quia affectus luxuriosus videtur esse potius generalis, i. e. ad venerem generatim, quam specialis ad tale obiectum. Sed contrarium omnino admittendum videtur, quia species infima obiecti, ut copula fornicaria vel sodomitica, intrat in obiectum delectationis, ideoque specificat affectum voluntatis, qui fertur in obiectum (Cfr. S. Alf. Praxis confess. n. 39, 1°). Hic tamen notes, actus impudicos, puta aspectum et tactum rei obscoenae, secundum se specie non differre (n. 71).

b) *A circumstantiis subiecti.* Hinc ligatus voto castitatis, si morose delectetur de actu luxuriae, etiam committit peccatum contra religionem, et quidem sacrilegium personale, saltem si voto publico ligatur; votum scilicet castitatis etiam peccata interna excludit. Idem plures affirmant de circumstantia coniugii, quia etiam fides matrimonialis affectum ad peccatum cum aliena vetare videtur.

c) *A circumstantiis obiecti*, si delectatio etiam circa illas versetur, quia tunc circumstantia pertinet ad obiectum delectationis. Secus contra alios negandum videtur, quia, ubi delectatio de circumstantia abest, haec non videtur in delectationis obiectum intrare. Hinc si quis morose delectetur de copula cum consanguinea vel coniuncta *qua tali,* contrahit malitiam incestus vel adulterii; non autem si delectetur — ut passim locum habet — de copula cum consanguinea vel coniugata *ut pulchra.* Attamen delectatio morosa dicenda est speciem sumere a circumstantia obiecti, si inducit periculum proximum *desiderandi* actum, puta copulam cum consanguinea (S. Alf. l. c.). Verum ut haec malitia contrahatur, ad eam attendi debet; quod passim locum non habet. Hinc ut plurimum non est obligatio praedictas circumstantias in confessione declarandi vel de eis interrogandi.

121 *Coroll. I.* Licet coniugibus morose delectari de copula vel actibus impudicis cum comparte, etiamsi ob huius absentiam hic et nunc locum habere nequeant. Ratio est, quia delectatio respicit actus coniugibus licitos (S. Alf. V, 25). Attamen, si delectatio fit cum commotione venerea graviori, facile aderit periculum pollutionis. Si fit cum commotione levi et pollutionis periculum abest, eiusmodi actus, utpote compartem respiciens, satis probabiliter natura sua ad copulam ordinatur seu actibus incompletis mutuis aequiperandus ideoque licitus videtur (S. Alf. V, n. 103).

Coroll. II. Cum *S. Alfonso* atque aliis, pluribus contradicentibus, dicendum videtur, illicitum esse viduis morose delectari de copula habita, sponsis de futura. Ratio est, quia in casu obiectum delectationis non est copula habita vel futura *qua talis* — etenim ut talis est obiectum gaudii vel desiderii — sed copula habita *ut obiective seu in se sumpta.* Atqui omnis copula obiective sumpta viduis et sponsis intrinsece mala est. Ergo

obiectum delectationis, de qua dicimus, malum et consequenter ipsa quoque voluntaria delectatio de eo mala est (S. Alf. V, 24). Qui censent, praedictam delectationem per se licitam esse, monent tamen, eam per accidens facile evadere peccaminosam, ob periculum tam excitandi commotiones venereas quam consentiendi in eas.

Licet tamen sponsis gaudere de eo, quod copula licita erit; item eam desiderare seu habere voluntatem eam post matrimonium initum exercendi, quia copula tunc habenda bona ideoque obiectum talis desiderii bonum est (S. Alf. V, 24).

Coroll. III. Licet morose delectari de actu in se licito et solo iure positivo prohibito, v. g. de esu imaginario carnium in die abstinentiae, modo delectatio non sit de actu *qua prohibito.* Ratio, quia in casu delectatio est de esu carnium obiective sumpto. Atqui esus carnium obiective sumptus bonus ideoque obiectum delectationis bonum est (S. Alf. V, 27).

Coroll. IV. Licet morose delectari de *modo,* puta de metaphora ingeniosa, qua obscoena enuntiantur (S. Alf. V, 18).

Coroll. V. Notitia seu cognitio (habitualis) actuum luxuriosorum de se mala non est, quia de se non involvit affectum voluntatis ad ipsos actus, immo cum maxima ab eiusmodi actibus aversione coniungi potest. Pariter atque ob eamdem rationem *cogitatio* de actu luxurioso de se mala non est; nec consequenter de se mala est *delectatio morosa* de notitia vel de cogitatione actus luxuriosi, scilicet quia ipsum eiusmodi delectationis obiectum non est malum (S. Thom. 1, 2, q. 74, a. 8; S. Alf. V. 17). Attamen eiusmodi cogitationes et delectationes malae evadere possunt atque persaepe malae evadunt ratione periculi sive excitandi motus venereos vel pollutionem, sive delectandi morose de actu malo qui cogitatur. Hinc *S. Alfonsus* l. c.: « Cogitatio potest esse bona si adsit iusta causa cogitandi, v. g. causa studii, consultationis etc. cum abominatione obiecti; vel potest esse venialiter mala, si fiat ex curiositate etc.; vel potest esse aliquando etiam graviter mala, si adsit periculum proximum consensus ». Ceterum facilis est descensus in hac materia a delectatione cogitationis ad delectationem rei cogitatae, praesertim si sit inutilis et vana cogitatio, unde qui diu ei immoratur, periculo se exponit[1].

[1]. Billuart, De temperantia, diss. 6, art. 15, § 1.

Quando *dubitatur,* an delectatio fuerit de cogitatione ipsa an de re cogitata: si cogitatio cum delectatione frequenter absque necessitate aut utilitate se ingerat, signum est delectationem esse de re cogitata, quia huiusmodi frequentia cogitationis absque necessitate vel utilitate videtur oriri ex prava inclinatione affectus ad res ipsas: si autem talis cogitatio non sit importuna, sed sequatur iudicium et moderamen rationis, signum est quod delectatio sit tantum de ipsa cogitatione [1].

Coroll. VI. Cogitatio et delectatio morosa de obiecto quod, si videretur vel tangeretur, motus venereos excitare natum esset, puta de parte obscoena corporis, quam quis sibi repraesentat, de se malae non sunt, quia ipsum obiectum non est malum. Attamen facile malae evadunt ratione periculi eiusmodi cogitationi et delectationi annexi, v. g. excitandi motus venereos etc.; quocirca applices dicta in corollario V de cogitatione actus luxuriosi et de delectatione morosa respectu talis cogitationis [2].

II.

De desiderio et gaudio.

122 I. **Notio et divisio.** *Desiderium* distinguitur in desiderium simplex et propositum. *Desiderium simplex* est actus, quo voluntas fertur quidem in opus exsequendum, qui tamen ad propositum illud exsequendi non pertingit. *Propositum* est actus, quo voluntas proponit opus exsequi. Distinguitur in absolutum et conditionatum prout quis absolute vel conditionate statuit actum patrare.

Gaudium hic intelligitur deliberata complacentia de actu patrato. Gaudium verbis expressum dicitur *iactantia.*

123 II. **Moralitas.** 1. Desiderium simplex, propositum et gaudium de actu malo mala sunt, et quidem graviter vel leviter mala prout actus graviter vel leviter malus est. Etenim involvunt affectum voluntatis ad actum malum, quem amplectuntur, desiderium pro futuro, gaudium pro praeterito. Eiusmodi autem affectus manifeste malus est, atque quidem graviter vel leviter malus

---

[1]. Billuart, l. c.
[2]. Cfr. Duynstee, De leer der kuischheid², p. 136.

prout actus graviter vel leviter malus est. Adde haec S. Scripturae: « Non concupisces uxorem proximi tui »[1].

2. Desiderium simplex, propositum et gaudium *speciem su-* 124
munt tam ab obiecto secundum speciem infimam spectato, quam a circumstantiis tam subiecti quam obiecti. Ratio est, quia tendunt in actum prout est vel fuit *a parte rei* cum omnibus circumstantiis. Dicitur:

a) *Ab obiecto secundum speciem infimam spectato.* Hinc qui sibi proponit patrare v. g. pollutionem vel fornicationem, pollutionis vel fornicationis reatum contrahit.

b) *A circumstantiis subiecti,* ut dictum est de delectatione morosa (n. 120).

c) *A circumstantiis obiecti.* Hinc qui propositum sumit peccandi cum persona coniugata, consanguinea etc. adulterii vel incestus reus evadit.

Praedicta autem valent, etiamsi desiderium vel gaudium respiciant actum *materialiter tantum malum.* Hinc merito ab Innocentio XI proscripta est prop. 14: « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas » (S. Alf. V, 20). Licet tamen gaudere quod actus materialiter malus *potius* quam formaliter malus contingerit.

Nota. Iactantia de peccato *vere commisso* passim secum fert gaudium proprie dictum de peccato. Iactantia vero de peccato *ficto* potius delectationem morosam quam gaudium proprie dictum videtur involvere; immo interdum delectationem de *solo modo* operis pravi. Hinc huic iactantiae applicentur, quae de delectatione morosa sive operis sive solius modi diximus (S. Alf. V, 26).

3. Propositum conditionatum actus, qui, seposita conditione, 125
pravus foret:

a) *Malum est,* si conditio non aufert malitiam obiecti; quod locum habet, si conditio malitiam actus non respicit, ut si quis diceret: Furarer, si non esset infernus; occiderem inimicum, si ensem haberem; fornicarer, si non essem religiosus etc. (S. Alf. V, 13).

---

[1]. Exod. XX, 17.

b) *Non est malum,* saltem graviter, si conditio aufert malitiam obiecti. « Hocque accidere potest, non solum in vetitis de iure positivo (prout si diceres: ederem carnes in quadragesima nisi Ecclesia prohiberet), sed etiam in vetitis de iure naturali, casu quo obiectum posset esse licitum (nempe dicendo: Si Deus permitteret, vellem rem illam Titii abripere; nisi essem sacerdos, uxorem ducerem; et similia)... Diximus: *saltem graviter;* nam ordinarie huiusmodi desideria non excusantur a veniali, cum communiter sint periculosa aut saltem otiosa » (S. Alf. l. c.).

c) *Quid,* si quis diceret, se facturum esse aliquid, quod intrinsece malum est, apponendo conditionem: si licitum esset; puta si diceres: « si non esset peccatum, vellem blasphemare, peierare, moechari, fornicari, ulcisci, et similia » (S. Alf. l. c.). Porro plerique auctores eum, qui ita dicit, peccati arguunt, quia conditio impossibilis est ideoque malitiam obiecti auferre nequit. Esto, sed merito dubitatur, num in casu *verum* habeatur desiderium seu, ut verbis *S. Alfonsi* utar, « satis probabiliter (dicitur) quod cum voluntas desiderat aliquod obiectum malum impossibile, sub conditione *si liceret,* nunquam efficaciter in illud consentit; quando enim obiectum illud tu optas, dicendo si liceret, et scis non esse nec posse esse licitum, non vere optas, sed tantum tuam propensionem ostendis. Aliud vero esset, si optares malum illud obiectum non esse prohibitum; quia per se malum est velle inverti ordinem et legem naturae » (S. Alf. l. c.). Ita quoque CAIETANUS[1], SALMANT.[2], SUAREZ[3].

126 *Coroll. I.* Licet gaudere et delectari de *effectu bono,* puta de tentatione per pollutionem sedata, de prole e copula fornicaria concepta, etc. Ratio, quia obiectum delectationis bonum est. Attamen « huiusmodi delectationes aliquando non carent periculo » (S. Alf. V, 20), quia facilis est transitus ad delectationem de ipso actu pravo, qui fuit causa effectus. Pariter licet, supposito actu malo, *desiderare* bonum eius effectum, puta ut aliquis, *si* iterum peccet, poena plectatur et emendetur. At non licet desiderare, ut quis iterum peccet, utut eo fine, ut puniatur et resipiscat.

---

[1]. In 1. 2, q. 13, a. 5.
[2]. Tract. 20, de Princ. mor. c. 13, n. 62.
[3]. De Leg. l. 3, c. 13, n. 10.

Disputatur, num liceat gaudere et delectari de actu malo, v. g. de fornicatione, *quatenus* (non quia) *fuit causa effectus* boni. Cum *S. Alfonso* (v, 20) contra plures negandum videtur, quia illud: *quatenus fuit causa effectus boni* seu: *qua causa boni effectus,* realiter ab actu malo non distinguitur, ita ut gaudium de tali actu *qua causa effectus,* re vera ipsum actum malum complectatur, ideoque ex obiecto malo malum evadat.

Coroll. II. Licet ob finem honestum gaudere de pollutione *mere naturali,* quia non est peccatum, ne materiale quidem (S. Thom. In 4, dist. 9, q. 1, a. 4, sol. 1, ad 5; S. Alf. l. c.; n. 65). Secus dicendum de alia pollutione, etiamsi materiale tantum peccatum fuerit (S. Alf. l. c.).

APPENDIX II.

DE INSTRUCTIONE IN ORDINE AD CASTITATEM.

I.

Instructio sexualis [1].

127 I. *Quatenus commendanda?* Instructio sexualis iuvenum et puellarum *per se* dissuadenda, quia dicta instructio, ob naturam hominis lapsam et ad sexualia et venerea proclivem, facile tam evolutionem vitae sexualis seu commotiones venereas quam cogitationes et desideria periculosa procrastinat; desideria, inquam, videndi et experiendi quae significata sunt; quae singula eo periculosiora sunt quo infirmior est in iuvenili aetate virtus. Accedit praxis antiqua, quae hanc sententiam confirmat. Per accidens, ut ita dicam, i. e. in aliquibus casibus instructio utilis vel etiam necessaria est, nimirum si ex instructione omissa maiora mala quam ex ea instituta timentur. Hinc instructio fiat:

1. Si periculum est, ne instructio detur a persona perversa vel saltem tali, quae ad eam minus apta sit.

2. Si et quatenus periculum est, ne pro peccato vel pro peccato gravi habeatur, quod peccatum vel peccatum grave non est; item si timendum est, ne quis ob defectum instructionis pravam consuetudinem contrahat [2].

3. Si studium noscendi sexualia excitatum ideoque periculum est, ne modo minus apto ei satisfiat.

4. Speciatim saepius urgenda est instructio, si filius vel filia ad scholam superiorem mittitur; si puellae, in instituto educatae, dimittuntur famulatum quaesiturae; si puella procatur, a fortiori, si nuptiae appropinquant.

---

[1]. Cfr. *Gemelli*, Non moechaberis², p. 127; VERMEERSCH, De castitate, n. 186-201; ERNST, Elternpflicht; GUIBERT, La pureté; *Mannenadel en Vrouweneer*, 1927, 1928; DUX, Dec. 1927, Ian. 1928.

[2]. « Non ita numero pauci sunt adulescentes qui casu quodam, v. g. equitando, vel ex somnio nocturno, vel instigante socio, voluptatem experti, illi indulgere coeperunt, et mox materialia peccata ignari ita committunt, ut consuetudinem, quae iam in se perniciosa est et pertinax, ex ignorantia contrahant ». (VERMEERSCH, De castitate, n. 188).

Obi. Instructio sexualis respondere debet evolutioni corporis et animi, ne scilicet aequilibrium morale perturbetur.

Resp. Si ex instructione sexuali praetermissa aequilibrium morale ita perturbaretur, ut ex eo maiora mala quam ex instructione facta pertimescenda forent, utique instructio esset perficienda. Id autem per se locum habere, si instructio evolutioni corporis et animi non respondeat, negaverim ob rationem sub I allatam. Hinc ex adiunctis personae etc. diudicetur, quid praeferendum videatur [1].

II. *A quo instituenda?* A parentibus, atque quidem a matre, 128
si de filia agitur; ab ea melius quoque peragitur, si forte de filio ante pubertatem instruendo sermo est. Post pubertatem negotium quoad filios melius a patre impletur. Si quid obstet, quominus parentes instructionem instituant, mulier apta matrem, vir aptus patrem excipiat. Itaque sacerdos puellam forte instruendam ad matrem, vel si adiuncta aliud suadent, ad aliam mulierem remittat; ipse vero ab isto negotio abstineat, persuasus, eiusmodi sermones a sacerdote non esse cum muliere instituendos [2]; immo eam ad librum potius remittat quam ipsemet eam edoceat. De instructione, quae matrimonialis dicitur, in alio scholion sermo erit.

III. *Quomodo instituenda?* 1. Instructio communis in scholis 129
reicienda. « Cum omnibus catholicis, inquit VERMEERSCH, et plerisque prudentibus scriptoribus, *collectiva* seu communis rei expositio in scholis elementaribus (*primaires*) et medii gradus per se improbanda est: tum quia ad alumnorum varietatem, qui qualitate seu virtute, cultu, viribus, necessitate differunt, huiusmodi instructio aptari nequit, tum quia sic fere invitantur alumni ut, quod pessimum est, hoc inter se post scholam conferant; tum quia prudens expositio auctoritatem et artem, quae omnibus mi-

---

[1]. « Wijl op ons rust de plicht om leiding te geven en te waarschuwen waar gevaren dreigen, sluiten wij met de verklaring, dat we heel vijandig staan tegenover de ziekelijke meening van hen, die aan iedereen sexueele voorlichting wenschen te geven. — We moeten ons houden aan een voorzichtige, in eerbare woorden gegeven, voorlichting aan volwassenen, die in omstandigheden verkeeren, waar ze die kennis niet kunnen missen zonder gevaar voor hun deugd ». Ita Illustrissimus Dominus P. HOPMANS in « Sancta Maria » 1928, p. 139.

[2]. Conc. Prov. Mechliniense, 1920, n. 57.

nime praesto sunt, in magistro supponit »[1]. Secus dicendum de sacerdote, qui alicui instituto iuvenum vel puellarum, qui alterius tutela reguntur, vel simili praepositus est, eosque opportuno tempore sexualia edocet.

2. Instructio pro adiunctis etc. aut partim vel gradatim tradenda, scilicet prout eam exigit incommodum auferendum (cfr. maxime 2 et 3 sub I), aut plus minusve integre instituatur. Integrae autem instructionis specimen subicere lubet.

---

130 Age sis, mi N., tibi loqui volo de re quadam, de qua non dubito, quin iam aliquoties cogitaveris, de hominis dico procreatione. Adolescentulum enim tuae conditionis ista scire decet. Nec malae sunt res, sed cum minoribus pueris, quorum ista scire non intersit, de istis rebus sermo non instituitur. Annon hic illic de rebus istis aliquid audiveris, nescio; libet iam rem totam plane exponere.

Scis, puto, infantem a matre in lucem edi; attamen annon ipsam rationem, qua fiat, teneas dubito. Quare, vide sis: in immo corpore feminae membrum insitum est, cui nomen est: « uterus ». Hoc in utero in quibusdam adiunctis ovulum adest, e quo, Deo favente, infans se evolvere potest. Haec evolutio per novem menses durat, quo tempore infans iis rebus, quae e sanguine matris hauriuntur, nutritur. Novem illis mensibus elapsis, infans extra corpus maternum vivere potest; in lucem igitur edatur oportet. Quod hoc modo fit: Ex utero, in quo infans adest, via quaedam deorsum ducit. Hac via infans in lucem proditur. Cum enim infans per novem menses in utero fuerit, uterus se contrahere incipit; his contractionibus infans ex utero in viam istam, et e via foras expellitur, quo facto infans natus est. Dicitur hoc infan-

---

[1]. O. c. n. 199. Epi Germaniae ita: Soweit Aufklärung erforderlich ist, soll sie nicht öffentlich, nicht in der Schule, nicht in Jugendschriften geboten werden, sondern unter vier Augen... Hauptsache aber ist und bleibt die Erziehung des Kindes zur Schamhaftigkeit von früh auf, vernünftige Körper — und Gesundheitspflege, Gewöhnung an Arbeit, an Selbstüberwindung und Entsagung, Stählung des Willens, Fernhaltung der in heutiger Zeit leider so zahlreichen sittlichen Gefahren und vor allem die in zarter Kindheit beginnende... umsichtig geleitete religiöse Durchbildung (Epist. circ. 1913).

tis « parturitio »; cui parturitioni permagni dolores vulgo comitantur; hi sunt « dolores puerperae ».

Dixi modo, ovulum quod in utero femineo adest, in infantem se evolvere posse. Quid autem, ut hoc fiat, opus est? Vide sis, Deus voluit non solum matrem, sed etiam patrem coöperari, ut infans in vitam prodiret. Qua ratione hoc fit? Coniunctione rei, quae dicitur « semen virile » cum ovulo in corpore femineo. In corpore igitur viri conficitur semen idque in membro, quod utriculi formam praebens, ex immo viri corpore pendet.

Nunc iam, quomodo semen virile cum ovulo, quod in feminae corpore est, coniungitur? Vir membrum, quo urina redditur, et quod « membrum virile » dicitur, in corpus femineum penetrat, in viam dico, qua infans ex utero foras expellitur; nomen huius membri feminei est « muliebre organum genitale ». Hoc facto, naturaliter semen virile in viam, quae ad uterum ducit, eiaculatur; sua deinde vi in ipsum uterum semen se penetrat et ibi, si ovulo obviam fuerit, cum eo se coniungit; quod cum fit, « conceptio » ut dicitur, facta est.

Deus vult illud opus, quo genus humanum procreatur, sed tantum, si tale est, quale Deus id esse voluit. Cum autem infantes non tantum in lucem edi sed educari etiam oporteat, haec autem educatio stabile patris ac matris exigat coniugium, generandi opus eos tantum, qui matrimonio iuncti sunt, peragere licet. Quod si ab iis, qui matrimonio soluti sunt, fiat, magnum luxuriae peccatum committitur.

En iam omnia, quae tibi dicere volui. Si quod postea sponte dubium oriatur, illud libere proponas. Ceterum exposita quiete e mente removeas. Haec enim te scire iam sufficit, neque diutius in istis cogitando morari conducit. Meliori modo tempore uti possumus. Immo, cogitationes istae periculosiores fieri possunt, nitimur enim in vetitum semper. Quare, si inaniter istas res in mente vertamus, fieri potest, ut malas istas res et cupiamus et faciamus. Caveas denique, ne de istis rebus cum amicis confabuleris [1].

---

[1]. Mannenadel en Vrouweneer, 1927, p. 36.

II.

Instructio matrimonialis.

131 I. **Necessitas et materia instructionis.** « Ne omittat, ita can. 1033, parochus, secundum diversam personarum conditionem sponsos docere ».

1. « Sanctitatem sacramenti matrimonii », i. e. naturam et dignitatem matrimonii et modum se digne ad susceptionem sacramenti praeparandi; quare « eosdem vehementer adhortetur, ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et Sanctissimam Eucharistiam pie recipiant ».

2. « Mutuas coniugum obligationes », speciatim usum licitum matrimonii.

3. « Obligationes parentum erga prolem », praeprimis modum conferendi Baptismum in casu necessitatis. Item:

4. « Prima saltem doctrinae christianae elementa, si sponsus vel sponsa inveniantur ignari: quodsi renuant (hanc instructionem), non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam can. 1066 », i. e. assistat tantum, si gravis urgeat causa, de qua si fieri possit, consulat Ordinarium [1].

II. **Instructor et tempus instruendi.** Instructio fiat a parocho (can. cit.), puta occasione examinis sponsorum; de consulto autem antequam ad publicationes procedatur. Instructio autem magis integra, quod ad usum matrimonii et modum baptizandi in casu necessitatis attinet, consultius paulo ante vel immediate post matrimonium contractum fiet.

III. **Modus instruendi.** Trademus diversis linguis specimen edocendi nupturientes, quatenus de matrimonii usu deque baptismo conferendo sermo est.

LATINE.

132 Ecclesia exoptat seu potius praecipit, ut matrimonium inituris quaedam a suo ministro exponantur; quod nunc praestabo. Porro:

I. Fines matrimonii principales sunt: 1° procreatio prolis; 2° mutuum auxilium a coniugibus sibi invicem praestandum.

---

[1]. Pontif. Comm. 2-3 Iun. 1918, IV, 3.

II. Spectato fine primario matrimonii, plura coniugibus licita, quaedam vero illicita sunt.

1. *Quaenam vobis licita sunt?* 1° Usus matrimonii, ut dicitur, qui perficitur unione corporum. In eo autem observandum, ut mulier succuba et in tergo iaceat. Sine causa alia ratione non fiat. 2° Licita sunt ea omnia, quae ad usum matrimonii necessaria vel utilia sunt, ut mutui coniugum tactus.

2. *Quaenam vobis illicita sunt?* 1° Sub gravi prohibetur usus matrimonii talis, ut procreatio locum habere nequeat. Hinc si quis vobis consulat, ut numerum prolis coarctetis, consilium illud repellatis oportet. Ceterum divina Providentia confidatis, quae, donata vobis prole, in ea educanda vos adiuvatura est. 2° Illicitum praeterea est ad vehementes vos invicem excitare commotiones, nisi possitis et velitis ad usum matrimonii progredi.

III. Usus matrimonii non solum licitus verum etiam obligatorius est, si ab alterutra parte serio petitur. Hinc usum petitum ne deneges, nisi gravis ratio, puta morbum, subsit.

IV. Si Dominus matrimonio vestro benedixerit, uxor prudenter evitet, quae proli conceptae nocere possunt, cuiusmodi sunt: labor valde gravis, onerum gravium gestatio, motus vehementes sive corporis sive animi, ut usus intensior bicycletae, vehemens ira vel dolor; vir quoque istius uxoris conditionis rationem habeat, tunc maxime cavendo, ne acerbo dolore afficiatur. Uterque demum isto tempore Deum exores, ut infans vivus nascatur atque Baptismo donetur.

V. Denique quaedam quoad *Baptismum* infantis observanda:

1. *Utrum infans semper baptizandus est? Semper* baptizandus est, *etiam* in casu *abortus,* i. e. quando foetus seu infans ante tempus ex utero egreditur; *etiam* si nondum habeat speciem humanam; *etiam* si nullum in eo appareat signum vitae; *etiam* si foetus adhuc membranis inclusus sit.

2. *Quis infantem baptizare debet?*

a) In adiunctis ordinariis, cum infans sanus natus est, baptizari debet in ecclesia et a sacerdote.

b) Infans si in periculo vitae versatur, ab uno astantium baptizari debet. Pater et mater quoad Baptismum proprii infantis

ultimo loco veniunt. Sed si nemo alius adest, aut qui adest modum non bene novit, aut non potest decenter facere, tum pater aut mater suam prolem in casu necessitatis baptizare debent. In abortu plerumque ab ipsis parentibus fieri debebit.

3. *Quomodo infantem baptizare debetis?*

a) *Si potes infantem in capite baptizare,* baptiza modo ordinario. Id est, caput taliter mundas, ut certo aqua illud contingere possis. Deinde sumis aquam ordinariam — tepidam, si ad manum habes; non opus est aqua benedicta — igitur sumis aquam ordinariam eaque caput abluis proferendo verba: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Si prima vice in capite baptizare non potes, potes vero *in alio membro,* tum in eo membro baptizare debes, quantulumcumque erit, puta in digito manus vel digito pedis, sed semper in membro praecipuo inter ea, in quibus tunc poteris.

Si autem occasionem acceperis iterum baptizandi in membro magis primario, v. g. in manu vel pede, tum in eo membro iterum baptizare debes, idque toties quoties in digniore quam ante membro poteris, e. g. in pectore vel dorso vel humeris usque dum in capite baptizaveris; nam *tum demum quum rite in capite mundato baptizaveris, aliquod e baptismatibus certe validum est.* Quodsi postquam in digito manus vel pedis baptizasti, continuo in capite baptizare potes, tunc cetera membra, quae intra haec duo extrema nominavi, omitte et statim in capite baptiza.

In casibus, in quibus non potes statim in capite baptizare, singulis vicibus in abluendo membro his verbis uti debes: *Si potes baptizari, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Si demum in capite emisso baptizas, dicas: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.*[1]

b) *Quomodo oportet baptizare, si foetus nondum speciem humanam habet seu cum embryo est adhuc membranis inclusus?*

Bene attendatis velim, nam in his adiunctis plerumque pater

[1]. Ita practice res proponatur. Theoretice perfectius ita: In casibus, in quibus non potes statim in capite baptizare, prima vice in abluendo membro his verbis uti debes: *Si potes baptizari, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* aliis vicibus: *Si non es baptizatus et potes baptizari, ego etc.* Si demum in capite emisso baptizas: *Si non es baptizatus, ego etc.* (Cfr. Rit. Rom. tit. II, cap. 1, n. 16; can. 746, § 2 et 3).

materve baptizare debent et aeterna salus prolis ab eorum tunc agendi modo pendere potest. Nam infans non baptizatus in coelum intrare non potest; quare in hac re opus est omni sollicitudine, ut infantulus baptizetur et quam potest optime baptizetur.

Igitur si quid abortivum fuerit post usum matrimonii, etiamsi sit primis post diebus, de quo nescitis quid sit, non temere statim illud egerere debetis: sed investigandum est, num forte foetus, infantulus in eo insit. Foetus inclusus est in vesicula quadam liquore impleta, qui liquor subalbi coloris est.

Hanc vesiculam postquam inveneritis, in mensa vel in catino seu patera imponite et pelvim aquae prope apponite. Tum *primum* aliquantum aquae super vesiculam effundere debes[1], interim dicendo: *Si potes baptizari, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Dein* vesiculam paulum obliquam in pelvi aquae tenens, pollice et indice utriusque manus eam aperi, ita ut liquor ex ea effluat. Tum denuo dicito, foetum in aqua paulum hic et illuc agitans: *Si potes baptizari, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Postea foetum iterum ex aqua extrahere debetis[2].

NEERLANDICE.

De H. Kerk verlangt of beveelt zelfs, dat de priester eenige 133
zaken uiteenzette voor hen, die in het huwelijk gaan treden. Ik zal thans daartoe overgaan.

I. De voornaamste doeleinden van het huwelijk zijn: 1° de voortbrenging van kinderen; 2°de wederzijdsche hulp der echtelieden.

II. Met betrekking tot het eerste doel zijn den gehuwden meerdere zaken geoorloofd, andere verboden.

1. *Wat is U geoorloofd?* 1° Het huwelijksgebruik, gelijk het genoemd wordt, dat bestaat in de vereeniging der lichamen. Hierbij moet ge in acht nemen, dat de vrouw behoort onder te

[1]. Ita practice; theoretice perfectius ita: Tum *primum* aut aliquantum aquae super vesiculam effundere aut ipsam vesiculam in aquam pelvis immergere debes, interim etc.

[2]. Cfr. *Rath,* Institutiones de Sacramentis in genere necnon de Baptismo et Confirmatione, n. 419.

liggen en op den rug. Zonder reden geschiede het niet op andere wijze. 2° Verder is geoorloofd alles, wat ter voorbereiding van het huwelijksgebruik noodig of dienstig is, als wederzijdsche aanrakingen enz.

2. *Wat is U verboden?* 1° Elk dusdanig gebruik van het huwelijk, dat de voortbrenging van een kind niet kan plaats hebben. Mocht derhalve iemand U aanraden het aantal kinderen op onnatuurlijke wijze te beperken, dan moet ge dien raad afwijzen. Vertrouw op de Goddelijke Voorzienigheid. Als Deze u kinderen schenkt, zal Zij het U bij de opvoeding daarvan niet aan de noodige hulp laten ontbreken. 2° Verder is het verboden elkander tot hevige gevoelens op te wekken, tenzij ge tot het huwelijksgebruik kunt en wilt overgaan.

III. Het huwelijksgebruik is niet alleen geoorloofd, maar ook verplichtend, als het door een van beiden ernstig gevraagd wordt. Dan moogt ge het niet weigeren, tenzij een gewichtige reden, b. v. ziekte u verontschuldigt.

IV. Als de goede God uw huwelijk gezegend heeft, vermijde de vrouw zorgvuldig alles, wat het kind zou kunnen schaden, als daar zijn: zeer zware arbeid, het dragen van zware lasten, hevige uitwendige of innerlijke bewegingen, inspannend fietsen, hevige toorn of hevige droefheid. Ook de man moet met dien toestand der vrouw rekening houden, en dan vooral haar geen groote droefheid veroorzaken. Eindelijk moeten beiden den goeden God vurig bidden, dat hun kind levend geboren worde en de weldaad van het h. doopsel ontvange.

V. Thans moet ik enkele zaken bemerken, met betrekking tot *het h. doopsel.*

1. *Moet het kind altijd gedoopt worden?*

Altijd; ook bij *miskraam,* d. i. wanneer de vrucht, het kind, afkomt voor den tijd; ook al heeft het kind nog geen menschelijke gedaante, ook al geeft het geen teeken van leven, ook al is de vrucht nog door vliezen omsloten.

2. *Wie moet het kind doopen?*

a) In gewone omstandigheden, als een kind gezond ter wereld komt, moet het gedoopt worden in de kerk en door den priester.

b) Als het kind in gevaar van sterven verkeert, moet het door een der aanwezigen gedoopt worden. *Vader en moeder* komen voor het doopen van hun eigen kind *op de laatste plaats.* Maar als er *niemand* aanwezig is, of kent hij het niet goed, of kan hij het niet fatsoenlijk doen, *dan moet vader of moeder* hun eigen kind in tijd van nood doopen. Bij miskraam zal het meestal door de ouders zelven moeten geschieden.

3. *Hoe moet ge het kind doopen?*

a) *Kunt ge het kind doopen op het hoofd,* dan doopt ge het op de gewone wijze. Ge zuivert nl. het hoofd zoodanig, dat ge met het water het hoofd zeker raken kunt. Daarna neemt ge maar gewoon water — lauw water, als ge het bij de hand hebt; gewijd water is niet noodig — daarna neemt ge dus maar gewoon water en wascht daarmede het hoofd onder het uitspreken der woorden : *Ik doop u in den naam des Vaders en des Zoons en des Heiligen Geestes.*

Kunt ge den eersten keer niet doopen op het hoofd, maar wel *op een ander lidmaat,* dan moet ge daarop doopen, *al is het nog zoo klein,* b. v. vinger of teen, maar altijd op het voornaamste lidmaat, waarop ge doopen kunt. Krijgt ge echter kans om te herdoopen op een voornamer lidmaat, b. v. hand of voet, dan moet ge op dat lidmaat herdoopen en wel zoo dikwijls, als ge het weer op een voornamer lidmaat zult kunnen, b. v. op borst, rug of schouders, tot het hoofd toe; want dan *eerst, als ge goed op het gezuiverde hoofdje gedoopt hebt, is een der doopsels zeker goed.* Kunt ge echter, na op vinger of teen gedoopt te hebben, ineens op het hoofd doopen, dan slaat ge alle tusschenledematen over.

Zoo dikwijls ge den eersten keer niet op het hoofd kunt doopen, moet ge altijd onder de afwassching deze woorden gebruiken: *Als ge kunt gedoopt worden, dan doop ik U in den naam des Vaders en des Zoons en des Heiligen Geestes.* En als ge eindelijk op het buiten het lichaam gekomen hoofd doopt, zegt ge: *Als ge niet gedoopt zijt, dan doop ik u enz.*[1]

b) *Hoe moet men doopen, als het kind nog geen menschelijke gedaante heeft, als de vrucht nog door vliezen omsloten is?*

[1]. Cfr. p. 118, nota.

Let eens goed op, want in deze omstandigheden moeten doorgaans vader of moeder doopen, en de zaligheid eener ziel kan er mede gemoeid zijn. Immers een kind, dat niet gedoopt is, kan niet in den hemel komen, en daarom is hier noodig alle bezorgdheid, dat het gedoopt worde en zoo goed mogelijk gedoopt worde.

Als er dus iets afkomt na het gebruik van het huwelijk, *al is het ook in de eerste dagen,* iets waarvan ge niet weet, wat het is, dan moet ge dit niet zoo maar aanstonds opruimen; maar ge moet *onderzoeken* of er misschien de vrucht, het kind bij is. De vrucht is besloten in een blaasje, dat met vocht gevuld is; dit is witachtig van kleur.

Wanneer ge dit blaasje gevonden hebt, legt ge het op de tafel of op een bord en plaatst daarbij een kom water. Dan moet ge eerst water over het blaasje uitgieten[1], terwijl ge zegt: *Als ge gedoopt kunt worden, dan doop ik U in den naam des Vaders en des Zoons en des H. Geestes. Daarna* houdt ge het blaasje eenigszins schuin in de kom met water, opent het met duim en wijsvinger van beide handen, en laat het vruchtwater wegloopen. Dan zegt ge opnieuw, terwijl ge de vrucht in het water even heen en weer beweegt: *Als ge gedoopt kunt worden, dan doop ik u in den naam des Vaders en des Zoons en des H. Geestes.* Daarna moet ge de vrucht weer uit het water ophalen[2].

ITALICE.

